DISPUTATIO CRITICA

DE

ANNALIBUS MAXIMIS.

SCRIPSIT

I. G. HULLEMAN,
GYMNASII AMSTELODAMENSIS CONRECTOR.

DISPUTATIO CRITICA

DE

ANNALIBUS MAXIMIS.

DISPUTATIO CRITICA

DE

ANNALIBUS MAXIMIS.

SCRIPSIT

I. G. HULLEMAN,
GYMNASII AMSTELODAMENSIS CONRECTOR.

AMSTELODAMI,
IN LIBRARIA SEYFFARDTIANA.
A. MDCCCLV.

PRAEFATIO.

Rogatus nuper a Gymnasii nostri Curatoribus, ut scriberem aliquam dissertationem, quae cum proximo Programmate scholastico ederetur, virorum amplissimorum precibus eo cessi lubentius, quo magis gaudeo ita tandem in scholam Amstelodamensem induci morem, qui in Germaniae Gymnasiis vulgo, in patriae nostrae perpaucis adhuc receptus, mihi quidem semper visus est haud uno nomine, ipsis etiam nobis Doctoribus, utilissimus. Itaque argumentum, de quo dissererem, statim dispicienti libitum mihi est telam paulo ante inchoatam citius pertexere, et disputare de eo historiae Romanae fonte, cui omnium antiquissimo et primario nomen datum ANNALES MAXIMI. Cuius quidem rei gravitatem probare si studeam, paene nugas agere et ineptus videar; si incusare difficultatem, velle benevolentiam captare, quae nisi merita

fuerit, parum habebit gratiae. Si quis vero dubitet, an operae pretium sit rem et a plurimis et docte illustratam denuo investigare, in primis post editam commentationem Clerici, Professoris Parisiensis (*), huic ipsa disputatio mea respondeat, quae — id quod evitare quum maxime voluissem, non potui — facta fere est ad Clericum ἀντιγραφή. Aut defugiendum certamen erat, aut certandum fortiter: namque in his medium sequi nihil prodest. Illud autem quum mihi operam bene multam lectoribusque meis fortasse satis taedii pepercisset, parum convenire et utique literis minus commodum videbatur; hoc ideo quoque praeferendum, quod ita ii, quibus auctor Clericus probaretur, perspicuis exemplis moniti, a tali duce cavendum esse intelligerent. Quidquid enim Lieberkuehnius (**), ut hunc afferam, de altera libri parte benigne iudicavit, *librum optimum* dicens, et laudavit Clericum, *longe doctissimum, solertissimum et disertissimum Actorum (diurnorum) recentiori tempore adversarium* praedicans, quibus laudibus nec invideo nec obtrecto, — equidem, quamvis hoc sit durius iudicium, Clerici de ANNALIBUS MAXIMIS

(*) *Des journaux chez les Romains, recherches précédées d'un mémoire sur les Annales des pontifes, et suivies de fragments des journaux de l'ancienne Rome; par J.-Vict. Le Clerc, Membre de l'Institut de France, Doyen de la Faculté des Lettres de Paris. Paris* 1838.

(**) In „Vindiciis librorum iniuria suspectorum" p. 1, quarum pars prior est „Epistola critica de vetere diurnorum actorum fragmento Dodwelliano scripta ad Victorem Le Clercium".

commentatione ἀκριτικώτερον scriptum librum videre me non memini. Adeo in ea desideratur, non dico verbosa argumentatio, sed κρίσις illa subtilior, quae recto iudicio delectuque prudenti a veris falsa diligenter discernat.

Et haec quidem hactenus. De me ut paucula addam, esse in hac disputatione quae enucleatius, esse contra quae brevius dici aut potuissent aut debuissent, haud me praeterit; sed ut universe non affluimus otio Gymnasiorum Doctores, ita mihi etiam temporis, quo haec perficienda erant, angustiae vix parandi omnia et disponendi, nedum limandi copiam fecerunt. Ceterum in tam crassis tenebris solum me videre lucem, multum ut credam abest. Verum quid esset, quaesivi; quid esse videretur, quid non, disputando effeci. Aliud quod pollicear non habeo.

Multa fidem promissa levant, ubi plenius aequo
Laudat venales, qui vult extrudere, merces.

Scribebam
a. d. X. Kal. Sext.
a. MDCCCLV.

I. G. H.

DISPUTATIO CRITICA

DE

ANNALIBUS MAXIMIS.

Sententias legenti virorum doctorum, qui de vetustissimis historiae Romanae monumentis plenius vel strictim egerunt, videri omnino mirum debet, tantam esse de *annalibus maximis* varietatem opinionum, ut in permagno scriptorum numero vix duo inveniantur, qui idem iudicium tulerint. Cuius rei causam si quis quaerat, hanc equidem in nominum et titulorum confusione pravaque interpretatione in primis latere dixerim; qua ratione quanto fiant obscura obscuriora, ex se intelligitur. Itaque quum *annales maximi* res esse dignissima viderentur, quam ex antiquorum testimoniis rursus in disceptationem vocarem, veteris praecepti memor, nisi bene distinguatur, non bene doceri, illius etiam quam dicebam causae ante omnia habendam rationem putavi. Quod quidem ne quid ceterae disputationis ordini ac perspicuitati officiat, optimum factum sit id primum agere et seorsum.

CAPUT I.

DE LIBRIS ALIISQUE MONUMENTIS, QUAE CUM ANNALIBUS MAXIMIS CONFUNDUNTUR.

Quum in hoc velut Cretensi labyrintho viam invenire haud ita facile sit, nescio an praestet statim eo cursum dirigere, ut vete-

rum auspiciis perveniamus ad certiorem notionem vocabuli *commentarii*, cuius multiplicem fuisse usum satis constat. Iam primum, ut a parvis ordiamur, Quinctilianus I. O. II. 11. 7 «commentarios puerorum» memorat, «in quos ea, quae aliis declamantibus laudata sunt, regerunt»; et similiter III. 6. 59 de Rhetoricis Ciceronis: «Sunt, inquit, velut regestae in hos commentarios, quas adolescens deduxerat, scholae». Qui loci originem declarant vocabuli, quod affini significatione postea invaluit, *regesta* (Vopisc. Vit. Prob. II). Sic idem X. 7. 30 sq. causarum, quas Ser. Sulpicius egit, laudat «commentarios, ita exactos, ut ab ipso in memoriam posteritatis viderentur esse compositi», Ciceronis autem «ad praesens modo tempus aptatos». Cf. Ascon. Ped. in Or. in tog. cand. p. 87 ed. Orell. Ipse Tullius Brut. XLIV. 164: «Censoria (Crassi), inquit, contra Cn. Domitium collegam non est oratio, sed quasi capita rerum et orationis commentarium paulo plenius». Cf. Quinctil. l. l. 32. Sed in primis id commentariorum genus attendendum est, quod ad monumenta historica pertinet, ut *ἀπομνημονεύματα* Xenophontis, quos libros Gellius N. A. XIV. 3 Latine inscribit «dictorum atque factorum Socratis commentarios», etsi vicissim qui Latinis dicuntur *commentarii*, cuiuscunque sunt naturae, solent fere Graecis *ὑπομνήματα* vel *ὑπομνηματισμοί* dici (1). Notissimos eo genere afferam Cae-

---

(1) *Commentarios* Caesaris Appianus de reb. Gall. XVIII quum dicat τὰς ἰδίας ἀναγραφὰς τῶν ἐφημέρων ἔργων, manifesto non vertit, sed interpretem agit, plane ut de *annalibus maximis* absolvens Servius, Comment. Aen. I. 373; de quo testimonio infra videbimus. Nec conferri cum Appiano Plutarchus debebat (Vit. Caes. XXII), vel si quis alius ἐφημερίδας Caesaris laudat, quo libri quidam fingerentur a *commentariis* diversi. Sed hac de re quoniam disputavit in eandem sententiam diligentissime Suringarius, Comment. de Rom. autobiograph. (Progr. schol. Lugd. Bat. 1846) p. 29 sqq., equidem nihil addo. Ceterum Graeci cum Caesaris, tum similes Arati *commentarios*, quos solus Polybius Hist. II. 40. 4 ὑπομνηματισμούς dicit, ὑπομνήματα inscribunt, ut Sullae *rerum gestarum* et Octaviani Augusti *de vita sua* libros, quorum pariter est proprium nomen *commentarii*. Quod autem ait Clericus l. c. p. 128, a Graecis *vulgo* hoc verti ἀπομνημονεύματα,

saris libros, non omisso tamen hoc Ciceronis iudicio, l. l. LXXV. 262: «Commentarios quosdam scripsit rerum suarum, valde probandos. Nudi enim sunt, recti et venusti, omni ornatu orationis tanquam veste detracta. Sed dum voluit alios habere parata, unde sumerent, qui vellent scribere historiam, ineptis gratum fortasse fecit, qui volent illa calamistris inurere,» rell. «Commentarium, quem de vita sua summatim breviterque composuit» Tiberius Imp., memorat Suetonius in Vit. LXI, et Cicero, ut scripsit ipse «commentarium consulatus sui Graece compositum», scribere Latinum saltem sibi proposuit (1), ita Epp. ad Div. V. 12. 10 Lucceio pollicetur, si velit scribere de rebus suis, confecturum se «commentarios rerum omnium». Cum quibus locis conferenti Brut. III. 14, ubi idem Pomponii Attici *annalem* describit «librum, quo ille omnem rerum memoriam breviter et perdiligenter complexus est», tanto apparet clarius, tum *memoriae* et *memoriales* libri (2), qui haud ita multo post prodierunt, cuius naturae fuerint, tum potuisse generatim *commentarios* vocari, qui essent *annales;* id quod Tullius ipse facit l. l. XV. 60, tradens: «His Consulibus (M. Cethego, P. Tuditano), ut in veteribus commentariis scriptum est, Naevius est mortuus». Dubitari enim vix potest, quin hic

---

id statuit, non probat exemplis. Ut sunt *ἀπομνημονεύματα dicta et facta memorabilia* (cf. Plutarch. Vit. Cat. Mai. IX s. f.), ita in hoc maxime commentariorum genus is titulus convenit, ut Bibuli *βιβλίδιον μικρὸν ἀπομνημονευμάτων Βρούτου* Plutarchus laudat Vit. Brut. XIII.

(1) Cf. Suringar. l. l. p. 23. Commentarium illum Graece scriptum ipse Cicero *ὑπόμνημα* appellat, Epp. ad Att. II. 1. 2.

(2) Illarum apud Gellium mentio est N. A. IV. 6, V. 5, VI. 8; hos, a Masurio Sabino scriptos, memorat idem V. 6. Cf. IV. 20, VI. 7, Paul. Dig. L. 16. 44. Ex quibus locis Lud. Ianus vindicare cum paucis libris Macrobio Sat. III. 6. 11 *memorialium* debebat, quod etiam in edit. Bipont. scriptum invenio, a corrupta plurimorum codicum lectione *memorabilium.* Ad usum nominis facit in primis Gellius in praefatione, non *memorialia* laudans, quod sunt qui probare videantur, sed *memoriales*, ut est L. Ampelii ad Macrinum *liber memorialis.* Cf. Sueton. Caes. LVI.

designentur veteres *annales*. Sed rarior tamen est hic vocabuli usus, qui in abusum vertitur, ubi additur nomen scriptoris, ut apud Plinium N. H. XIII. 13 L. Calpurnius Piso laudatur «primo *commentariorum*», non primo *annali*, quod dici debebat.

Possim, ut grammaticorum similesque ἐξηγήσεις praetermittam, Regum commentarios (1) afferre, possim consulares (Varro L. L. VI p. 265 ed. Spengel.), censorios aliorumque magistratuum (cf. Becker Handb. d. Röm. Alth. I p. 25), forenses et civiles, domesticos etiam privatosque, sed nihil opus est porro haec persequi (2). Hanc enim summam cogimus, *commentarios* dictos esse libros vel tabulas vel schedas qualescunque, reconditas et evulgatas, quibus contineretur quidquid memoriae causa, sive suae sive alienae, in primis etiam posteritatis, breviter atque incomte quis enotasset. Ad hanc igitur a veteribus praescriptam normam significatio locutionis *commentarii Pontificum* iam exigenda est, quippe quae, de mea quidem sententia, plerumque male intellecta, errorum complurium pravique de *annalibus maximis* iudicii princeps causa habenda sit.

Prae omnibus testimoniis, quae huc pertinere putantur, grave est Livianum illud, Hist. VI. 1. 2, quo quae in *commentariis Pontificum* aliisque publicis privatisque essent monumentis, incensa a Gallis Urbe pleraque interiisse affirmat. In quam quidem rem ipsam, a Plutarcho etiam (περὶ τῆς Ῥωμ. τύχ. XIII) ex Livio traditam, nunc non inquirimus; sed verba attendentes, apud

---

(1) Cic. pro Rab. V, cuius loci immemor Petersen, de origg. hist. Rom. p. 12, negavit *commentarios Regum* ita in universum a quoquam veterum laudari, tametsi ceterum sui iuris est, ubi affirmat certi cuiusdam Regis nomen addi solere.

(2) Cito tantum testes Ciceronem Verr. II. 5. 21; Livium XXXIX. 47. 3, qui presse sequitur Polybium XXIV. 2, memorantem primum § 4 ὑπομνηματισμούς, mox § 5 ὑπομνήματα; Velleium Pat. II. 60. 4, quo loco, quem infra cum testimoniis Graecorum sum collaturus, Antonius scribitur «*actorum* Caesaris corrupisse *commentarios*»; Tacitum Ann. VI. 47, XIII. 43 (quae nonnisi de privatis schedis possunt accipi), Hist. IV. 40 Sueton. Octav. LXIV, Calig. XV.

Plutarchum ὑπομνηματισμοὺς dici legimus, quos ille *commentarios* vocat. Quod quum haud fugeret viros doctos, vulgo tamen ita sententiam Livii explicatam videas, quasi *annales libri* Pontificum eo nomine appellarentur, vel certe indicarentur tabulae ligneae, a Pontifice Maximo propositae (Cic. de Orat. II. 12. 52, Serv. l. l.). At suas ipse *historias* Livius *annales* vocaverit licet (XLIII. 13. 2), vocare *annales* nisi per turpissimam negligentiam *Pontificum commentarios* non potuit, siquidem abusus, quem modo generatim notabam, hac in re tanto fuisset gravior, quanto magis ansam confusioni praebuisset. Satis enim certum est, id quod infra exponam, praeter *annales* alia monumenta Pontificum fuisse, quae proprie dicerentur *commentarii*, digna quidem illa, quae historiarum scriptor curaret, sed non ita, ut posthabitis ceteris omnibus horum interitum singulatim memoraret. At vero aliud est, quo refelluntur, qui apud Livium *commentarios* ab *annalibus* non distinguunt: inducit enim Livius IV. 3. 9, suus procul dubio optimus interpres, Canuleium Tribunum querentem de aditu ad *commentarios Pontificum* Plebi negato. Haeccine valeant in *annales maximos?* Habebant hi libri, si a. U. 309 iam confectos putemus (quod quum negem, cur secus videatur probare non est huius loci), natura sua nihil quidquam cum causa illius querelae commune. Tabulae autem certe non ad supprimendum et celandum, quod scire Plebis interesset, coeptae sunt proponi. Quid igitur Canuleius, si rerum gestarum memoriam spectasset, de praeclusis *commentariis* questus fuisset? Utique a vero is aberit proxime, qui Livium, *commentarios Pontificum* memorantem, utroque loco idem significasse statuerit. Quid esse illud videatur, iam dicam apertius et explanatius.

Inde a primis temporibus, non quidem Romuli vel quoquo nomine appellatus fuit, qui conditor Urbis credebatur, sed sub eo Rege Romanorum, cui Numae datur nomen, quique primus Pontifices legit, vel paulo post, huic Pontificum collegio incubuisse cura videtur, ut quae res tam publicae gererentur, quam sacrae peragerentur, instituerentur, novarentur, eas sibi referrent in commentarios, quos sedulo ipsi, ut par est, servarent

et custodirent. Haec adversaria, hoc *ἀρχεῖον* sive, ut Latino nomine dicam, tabularium, modo ne lignearum tabularum seriem cogites, Livius utrobique significavit universe; libros, qui vulgo et proprie dicuntur, non indicavit. Tabulae, publice propositae, ab his commentariis ita fere diversae fuere, ut differunt ab *ἀρχετύποις ἀπόγραφα.* Si exemplo res illustranda sit, ex ipso Livio id petam, ubi famam communem secutus tradit (I. 32. 2): «Sacra publica, ut ab Numa instituta erant, — ex *commentariis* Regis (Ancus Marcius) Pontificem, in *album* relata, proponere in publico iubet». Cff. quae de Fastis evulgatis leguntur IX. 46. 5. Ea igitur quam commendavi interpretatione, non quaesita profecto nec contorta, Livius sibimet ipse conciliatur, neque adversatur ceteris scriptoribus, quicunque *commentarios Pontificum* laudantes libros quosdam intellexerunt. Tandem, quod nimis hac in re negligitur, aut pessima interpretatione duce efficit ut conturbentur et negentur omnia, si hanc Livio fuisse mentem statuimus, tradere nihil ille videtur, quod non rationi sit consentaneum et temporibus.

Sequitur, ut absolvam deinceps de ea parte commentariorum Pontificum, quae postea in librorum formam redacta atque ipso illo titulo inscripta esse videtur. Raro hi libri laudantur, nec quidquam certi de eorum argumento proditur; sed tanto magis cum *maximis annalibus* sunt confusi, a quibus tamen — mea duntaxat sic est ratio — alieni fuerunt, et cum *libris Pontificum* sive *pontificiis*, proprie sic dictis, quibuscum natura coniuncti, re nihil habuerunt commune.

Quod testimonium primum ponam, id Ciceroni debetur, qui Brut. XIV. 55: «Possumus, inquit, Ti. Coruncanium suspicari disertum, quod ex *Pontificum commentariis* longe plurimum ingenio valuisse videatur». Fuit autem Coruncanius, quod in his praecipue debet attendi, ipse Pontifex Maximus, primus e Plebe, laudaturque propter rerum pontificiarum scientiam ac peritiam ab eo, qui scripsit orationem pro domo sua, LIV. 139. In qua quidem oratione fragmentum legitur multo praestantius LIII. 136, quo loco Pontifices sic compellantur: «Ut revertar ad ius

publicum dedicandi, quod ipsi Pontifices semper non solum ad suas caerimonias, sed etiam ad populi iussa accommodaverunt: habetis in *commentariis vestris*, C. Cassium Censorem de signo Concordiae dedicando ad Pontificum collegium retulisse, eique M. Aemilium, Pontificem Maximum, pro collegio respondisse, nisi eum populus Romanus nominatim praefecisset, atque eius iussu faceret, non videri ea recte posse dedicari. Quid, quum Licinia, virgo Vestalis, summo loco nata, sanctissimo sacerdotio praedita, T. Flaminino, Q. Metello Consulibus, aram et aediculam et pulvinar sub saxo sacro dedicasset, non eam rem ex auctoritate Senatus ad hoc collegium Sex. Iulius Praetor retulit? quum P. Scaevola, Pontifex Maximus, pro collegio respondit, quod in loco publico Licinia, Caii filia, iniussu populi dedicasset, sacrum non videri.» Ad quae fragmenta qui animum attentius advertet, facile sibi persuadebit, quantacunque sit saepe veterum in titulis librorum tradendis nescio incuria dicam an negligentia, hic saltem *commentarios* pro *annalibus* non laudari. Non narrantur, quae aut debebant aut commode poterant in publicis his monumentis enotari, sed ea, quae praecipue ac prope spectabant ipsos Pontifices atque ad Pontificum ius resque divinas pertinebant. Quod etsi in primis ex altero loco longiore efficitur, prioris tamen brevitas, eodem titulo allati, minime idonea causa est, cur ad *annales maximos* eum referamus, ut retulere Krausius (1) et Clericus, p. 87, 122, 128, 364. Quomodo ex *commentariis Pontificum* colligere Cicero potuerit, disertum fuisse Coruncanium, Pontificem Maximum, quis lecto altero testimonio quaeret? Uterque locus haud dubie ad eosdem libros pertinet, qui quales fuerint luculentius etiam ex tertio fragmento apparet, quod adscribere praestat quam indicare.

---

(1) Vitae et fragm. vett. historic. Rom. p. 24. Habet autem Krausius omnino pro *maximis annalibus,* qui dicuntur *commentarii Pontificum.* Ceterum sunt qui a. U. 631 non amplius scriptos *annales* censeant. Quae sententia si mihi omnino probaretur, hoc maxime argumento usus illos a *commentariis* distinguerem: eo enim anno Consules fuere T. ille Flamininus et Q. Metellus.

Exponens de templo et statua Fortunae muliebri dedicatis, anno post reconciliatum civibus Coriolanum, Dionysius Halic. A. R. VIII. 56 diligentius enarrat *τὴν γενομένην ἐπιφάνειαν τῆς θεοῦ κατ' ἐκεῖνον τὸν χρόνον, οὐχ ἅπαξ, ἀλλὰ καὶ δὶς, ὡς αἱ τῶν Ἱεροφαντῶν περιέχουσι γραφαί*(1). Has igitur *Ἱεροφαντῶν γραφάς* secuturus ille sic pergit: *Ἱστορεῖται τοίνυν, ὅτι, τῆς βουλῆς ψηφισαμένης ἐκ τοῦ δημοσίου πάσας ἐπιχορηγηθῆναι τὰς εἰς τὸν νεών τε καὶ τὸ ξόανον δαπάνας, ἕτερον δ' ἄγαλμα κατασκευασαμένων τῶν γυναικῶν, ἀφ' ὧν αὐταὶ συνήνεγκαν χρημάτων, ἀνατεθέντων τ' αὐτῶν ἀμφοτέρων ἅμα ἐν τῇ πρώτῃ τῆς ἀνιερώσεως ἡμέρᾳ, θάτερον τῶν ἀφιδρυμάτων, ὃ κατεσκεύασαν αἱ γυναῖκες, ἐφθέγξατο, πολλῶν παρουσῶν, γλώττῃ Λατίνῃ φωνὴν εὐσύνετόν τε καὶ γεγωνόν· ἧς ἐστι φωνῆς ἐξερμηνευόμενος ὁ νοῦς εἰς τὴν Ἑλλάδα διάλεκτον τοιόςδε· Ὁσίῳ πόλεως νόμῳ γυναῖκες γαμεταὶ δεδώκατέ με. Οἷα δὲ φιλεῖ γίνεσθαι περὶ τὰς παραδόξους φωνάς τε καὶ ὄψεις, πολλὴ ταῖς παρούσαις ἐνέπιπτεν ἀπιστία, μή ποτ' οὐ τὸ ξόανον εἴη τὸ φθεγξάμενον, ἀνθρωπίνη δέ τις φωνή· μάλιστα δὲ, ὅσα πρὸς ἄλλῳ τινὶ τὸν νοῦν ἔχουσαι τηνικαῦτα ἔτυχον, οὐκ ἰδοῦσαι τὸ φθεγγόμενον ὅ τι ποτ' ἦν, ταύτην εἶχον τὴν πρὸς τὰς ἰδούσας ἀπιστίαν. Ἔπειτα αὖθις πληθύνοντος τοῦ νεὼ, καὶ σιωπῆς πλείστης κατὰ δαίμονα γενομένης, ἐν μείζονι φωνῇ τὸ αὐτὸ ξόανον ἐφθέγξατο τὴν αὐτὴν λέξιν, ὥστε μηδὲν ἔτι εἶναι τὸ ἀμφίλογον. Ἡ μὲν οὖν βουλὴ ὡς ταῦτα ἔμαθεν, ἐψηφίσατο θυσίας ἄλλας καὶ σεβασμοὺς, οὓς ἂν οἱ τῶν ἱερῶν ἐξηγηταὶ παραδῶσι, καθ' ἕκαστον ἔτος ἐπιτελεῖν. Αἱ δὲ γυναῖκες ἐν ἔθει κατεστήσαντο τῇ τῆς ἱερείας χρησάμεναι γνώμῃ, τῷ ξοάνῳ τούτῳ μήτε στεφάνους ἐπιτιθέναι μήτε χεῖρας προσφέρειν γυναῖκας, ὅσαι δευτέρων ἐπειράθησαν γάμων, τὴν δὲ τιμὴν καὶ θεραπείαν αὐτοῦ πᾶσαν ἀποδεδόσθαι ταῖς νεογάμοις.* — Haec ille, quae Clerico (p. 105, 354 sq.) item videntur ex *annalibus maximis* deprompta esse, quos tamen exili atque

(1) Alios commentarios designari l. l. III. 36 *ταῖς περὶ τῶν ἱερῶν συγγραφαῖς, ἃς Πομπίλιος συνεστήσατο*, patet ex laudato supra Livio I. 32. 2.

ieiuno sermone scriptos putat saepiusque affirmat. Sed praeterea nec rei narratae nec vero tituli ratio eam opinionem commendat, quamvis in hoc ipso Dionysius de more Graecorum interdum arbitratu agat suo. Romanorum *annales* Graece, addito vel omisso *Ἱεροφαντῶν* nomine, dici *γραφαί* nequeunt, nec dicuntur, sed *χρονογραφίαι*, *ἐπιχώριοι γραφαί* vel *ἀναγραφαί* (1), *ἐνιαύσιαι ἀναγραφαί*, *ἐνιαύσιαι πραγματεῖαι*, rarissime *ἐνιαύσια*. *Ἱεροφαντῶν γραφάς* in promptu quidem sit vertere *Pontificum libros*, sed ab horum ratione, ut mox videbimus, res narrata pariter abhorret. Restat, ut naturae fragmenti convenienter *commentarios Pontificum* vertamus (2), quo sane non magis Graeco vocabulo vim inferemus, quam abutemur Latino. Dicere Dionysius *ὑπομνήματα* debebat, eoque magis, quod possunt hi collegii Pontificum commentarii cum libris Sullae, Caesaris aliorumque, qui singuli de rebus suis memoriae prodiderunt, satis bene comparari. Qualem enim horum commentariorum rationem fuisse novimus, si spectes res civiles et militares, tales fere in sacris publicis *Pontificum* fuere *commentarii*. Sed fortasse melius res illustratur altero exemplo, quod etiam Caesaris est. Huius mortui relicta *γράμματα* memorat Dio Cassius XLIV. 53, eademque Appianus B. C. II. 125 *τὰ ὑπομνήματα τῆς ἀρχῆς* dicit, interpretatur Plutarchus Vit. Ant. XV *τὰ βιβλία, ἐν οἷς ὑπομνήματα τῶν κεκριμένων καὶ δεδογμένων ἦν ἀναγεγραμμένα*. Sic in his versantur Graeci. Latini autem ipsi *acta* Caesaris dicunt, vel, ut Velleius Paterculus l. l., *actorum commentarios*. En quod volo habes. Quodsi a collegio quodam ductum exemplum mavis, dabo. Quae plerumque *acta* Senatus appellantur, ea Senatus *commentarios* Tacitus appellat, Ann. XV. 74. Denique, qui libri proprie dicuntur *commentarii Pontificum*, continua fuisse series videntur *actorum Pontificalium* (3).

---

(1) Quod Dionysius l. l. *ἐπιχώριον ἱστορίαν* vocat, id urgentis Clerici (p. 106) causa memoro, sed memorasse etiam satis est, quum ad rem nihil faciat.

(2) Eosdem Beckerus intellexit, l. l. I p. 12 ann. 18, qui idem fere de his monumentis coniecisse videtur, ut universe simile iudicium tulit Klotzius, Handb. d. lat. Litt. I p. 357 sq., quem librum sero consultasse poenitet.

(3) His probatis, conferre iuvabit cum testimonio Ciceronis, quod est de

Quae porro pertinent ad hanc de *commentariis* quaestionem, sive totum tabularium eo nomine intelligas, seu confectos libros, tum afferam, quum de *libris Pontificum* absolvero, quo iam sine mora pergo.

Quod paulo ante animadvertebam, cum *libris Pontificum* sive *pontificiis* natura coniunctos fuisse *commentarios*, re nihil habuisse commune, id ita nunc explico, ut acta sua Pontifices enotarent in *commentariis*, quos deinde perspicuitatis causa *sacros* nominabo, agerent vero, agere saltem crederentur ex certis quibusdam regulis, quae regulae statutae ac praescriptae essent in *libris Pontificum*. Hos igitur, etiam ab antiquis ipsis, permutari inter se potuisse, ex se intelligitur, quamquam hoc ubi factum sit, decernere nobis saepe est difficilius. Ut ad rem veniam, sacros suos libros quum et Augures haberent et omnino nullum sacerdotum collegium non habuisse videatur (cf. Petersen de origg. hist. Rom. p. 32 sqq.), mirum non est, celebratos esse praesertim *pontificios* sive *pontificales*, quos a libris *Pontificum* nescio quo modo quave de causa, sed perperam distinguit Beckerus p. 11 (1). Praecipiebant hi libri, qua essent ratione quoque

---

Ti. Coruncanio diserto, quae tradit Tacitus dial. de Orat. XXXVII: „Nescio an venerint in manus vestras haec vetera, quae in antiquariorum bibliothecis adhuc manent et quum maxime a Muciano contrahuntur, ac iam undecim, ut opinor, *actorum* libris et tribus epistolarum composita et edita sunt. Ex his intelligi potest, Cn. Pompeium et Marcum Crassum non viribus modo et armis, sed ingenio quoque et oratione valuisse, Lentulos et Metellos et Lucullos et Curiones et caeteram procerum manum multum in his studiis operae curaeque posuisse, nec quemquam illis temporibus magnam potentiam sine eloquentia consecutum". Videtur συλλογή indicari *actorum* Caesaris, Pompeii aliorumque id aetatis virorum. Saxius (Miscell. Lips. nov. III p. 257 sq.) Senatus commentarios significari censuit. Utut est, *acta diurna populi Romani*, de quibus Cap. II dicam, perperam Clericus intellexit, p. 202, 239, 376.

(1) Tantum minus frequenter *Pontificum libri* dicuntur. Qui vero legerit quae ex his Varro affert apud Festum p. 189 ed. Muell. quaeque Mythographus III Bodii, VI. 35 p. 196, cui scriptori saepe cum Servio mire convenit, et contulerit ea cum fragmentis *librorum pontificiorum* sive *pon-*

ritu privatim et publice sacra Diis facienda, quae singulis victimae et quare decretae essent; regulas praescribebant templa, aediculas, aras et similia rite dedicandi; quae feriae a quo genere hominum quibusque diebus observandae, vel quae fieri diebus festis permissa essent indicabant; denique formulas comprecationum aliasque religionum caerimonias innumerabiles fere tradebant plenissime. Qui vero *Pontificum libri* Deorum nomina virtutesque, verbo ipsam theologiam tradebant, his libris *indigitamenta* verum nomen fuisse ex Servio efficias, idque discriminis etiam Ambroschius (Stud. u. Andeut. I p. 63 annot. 109, in primis vero in dissertatione, quae inscribitur Ueber die Religionsbücher der Römer), quum egregie illustret *indigitamentorum* rationem, facere inter utrosque videtur (1). *Pompiliana indigitamenta* vocat Arnobius, adv. gent. II. 73, quia a Numa auctore repetebantur, nisi ita dicta sint in honorem Numae, ex cuius commentariis principia essent petita (2). Quidquid est, *libri Pontificum* uni-

---

tificalium, quae sunt apud Festum, Servium aliosque (de Fulgentio vid. Lerschius p. 42 sqq.), non dubitabit, quin eodem utraque pertineant. Etiam *Augurum* et *augurales libri* sine discrimine laudantur. Illo nomine Varro utitur L. L. V p. 64, VI p. 241, VII p. 289.

(1) Serv. Comment. Virg. Georg. I. 21: „*Studium quibus arva tueri.* Nomina haec numinum in *indigitamentis* inveniuntur, i. e. in *libris pontificalibus*, qui et nomina Deorum et rationes ipsorum nominum continent". Quodsi h. l. „in libris" accipiendum est „in *iis* libris", eo magis valet Ambroschii ratio, quam ignoro an alibi probaverit, sed confirmare videntur Arnobius l. l. et Censorinus de die nat. III.

(2) Cf. Petersen l. l. p. 30 sqq., qui etsi p. 35 confundit *libros* et *commentarios* Pontificum, merito refutat Dirksenium, Versuche z. Krit. p. 238, ratum sequi ex loco Plutarchi Vit. Marc. VIII (ubi esse dicuntur, qui de spoliis opimis mentionem factam tradant ἐν ὑπομνήμασι Numae), collato cum testimonio Festi v. Opima p. 189 (ubi laudantur *libri Pontificum*), ius Papirianum ex *libris Pontificum* esse compilatum: nam etiam „Pompili Regis legem" Festus ibidem affert. Ex iisdem locis Beckerus p. 13 (cf. p. 15) effecit, inter ὑπομνήματα Numae et libros illos sacros nihil discriminis intercessisse; quod certe quidem rectius est, sed an omnino verum sit, dubito. Neque in talibus certissimus auctor Plutarchus. Ceterum de his omnibus vidd. quae diligenter contulit et disputavit Klotzius p. 318 sqq., 358 sq.

verse et habiti sunt et fuere summae vetustatis monumenta. Cf. Livius VI. 1. 10. Hinc adeo Cicero de Orat. I. 43. 193: «Si quem antiqua studia delectant, plurima est et in omni iure civili et in *Pontificum libris* et in XII tabulis antiquitatis effigies, quod et verborum prisca vetustas cognoscitur et actionum genera quaedam maiorum consuetudinem vitamque declarant». Eiusdem rei alter locuples testis Horatius est, qui Epp. II. 1. 23 sqq. obscuritatem notans, priscorum vocabulorum usu quaesitam, *libros Pontificum* meminit in patriis monumentis antiquissimis:

Sic fautor veterum, ut tabulas peccare vetantes,
Quas bis quinque viri sanxerunt, foedera Regum
Vel Gabiis vel cum rigidis aequata Sabinis,
Pontificum libros, *annosa volumina vatum,*
Dictitet Albano Musas in monte locutas.

Quem locum conferentes cum superioribus quid curemus grammaticos, quorum Porphyrio dubitat, *annales* Horatius an *ius Pontificum* significaverit, audacter Acro *libros annales* interpretatur? Nec probo equidem coniecturam Clerici, p. 129, quam motus iisdem scholiis fecit dubitanter, num forte Horatius uno illo nomine *omnes libros Pontificum* designaverit, et rituales et historicos. *Libri* vereor ut sint a quoquam scriptore dicti pro tabulario, quemadmodum a Livio *commentarii.* — At in poëta, inquies, talia non sunt ad amussim exigenda. «Poëtis quidlibet audendi semper fuit aequa potestas». Quid, quod favet illi coniecturae Quinctilianus VIII. 2. 12, in re simillima *commentarios* Pontificum afferens? — Ad utrumque respondebo. Primum, quidquid licet poëtis aut sibi licere poëtae arbitrantur, est ea sive venia sive audacia certis limitibus circumscripta, «quos ultra citraque nequit consistere rectum». Nisi fuissent, qui proprie appellarentur *libri Pontificum*, posset fortasse in poëta non aegre ferri, quod eo nomine, quamvis nullo exemplo, designasset cunctos cuiuscunque generis commentarios Pontificum; nunc ab Horatio exspectari illud non potest. Nec mihi Ciceronem, gravem in primis testem, ita contempseris, ut huic quo-

que violentas manus iniicias: quum enim manifesto idem spectet quod Horatius, huius sententiam contorquens necesse est illi non parcas. Quae quum ita sint, Horatii res salva esse videtur. At multo plus negotii Quinctilianum facessere haud negaverim. Neque tamen se praebet implacabilem. Quod priusquam planum faciam, ipse audiendus est. «Obscuritas, inquit, fit etiam verbis ab usu remotis, ut si *commentarios* quis *Pontificum* et vetustissima foedera et exoletos scrutatus auctores, id ipsum petat ex his, quae inde contraxerit, quod non intelligatur (1). Hinc enim aliqui famam eruditionis affectant, ut quaedam soli scire videantur». Iam vero quod Spaldingius quoque animadvertit, scribenti haec Quinctiliano obversatos esse versus Horatii, ea sententia non video qua possit probabilitate in dubium vocari. Notat certe uterque prisca et antiquata verba ex vetustissimis monumentis expiscantes, atque in hoc ipso locorum illorum, ceterum sibi satis similium, vis omnis est posita. Quid igitur? Perperam Quinctilianus *commentarios* dixit? Vero, sed dixit leviore peccato quam visus est nonnullis, qui sacros commentarios sive acta Pontificum merito non cogitantes *annales* respici opinentur. Illa enim monumenta, quae velut ex die in diem continuabantur, vix poterant prae aliis proponi exemplum prisci sermonis; his, ut suo loco apparebit, plures libri fuerunt antiquiores, ut Fabii *annales* et *origines* Catonis. Sed *annales maximos* intelligi vetant etiam allata Ciceronis et Horatii testimonia, vetat Quinctilianus ipse, quippe qui X. 2. 7 recte *Pontificum annales* memoret, non verborum obsoletorum causa, sed quo consilio a Cicerone quoque laudantur de Orat. II. 12. 52 sq., ut sint historiae Romanae Latine scriptae exemplum antiquissimum. Itaque inter *commentarios* et *annales* Pontificum Quinctilianus distinxit. Postremo, quod monent locis supra scriptis Cicero et Horatius,

---

(1) Sic quum scripsissem, non acquiescens in vulgato *intelliguntur*, pro quo fuere qui *intelligantur* restituerent, eandem emendationem a Klotzio factam vidi, l. l. p. 357, ubi vir clar. ipsa illa testimonia, de quibus iam disputo, omnia refert ad commentarios Pontificum, „latiore sensu" dictos.

ut titulos permutatos statuamus, id urget suo exemplo Plinius N. H. XVIII. 3 s. f. «Equidem ipsa etiam verba priscae significationis admiror. Ita enim est in *commentariis Pontificum*: ««Augurio canario agendo dies constituantur, priusquam frumenta vaginis exeant et antequam in vaginas perveniant»» (1). Haec quis dubitet, quin lecta in iis monumentis fuerint, quibus vulgo nomen datur *Pontificum libri?* Sic Augurum quoque qui solent *libri* vocari, nonnunquam *commentarii* dicuntur (2).

Revertor ad alterum Livii locum, quem iam supra summatim tractans negavi quidquam habere cum *annalibus maximis* commune. Facit Livius Canuleium haec apud Patres querentem: «Obsecro vos, si non ad Fastos, non ad *commentarios Pontificum* admittimur, ne ea quidem scimus, quae omnes peregrini etiam

---

(1) Sic Festus p. 286: „In *commentariis sacrorum pontificalium*, inquit, frequenter est *hic* ovis et *haec* agnus, *haec* porcus. Quae non ut vitia, sed ut antiquam consuetudinem testantia debemus accipere„, spectans aperte quos Servius Comm. Georg. I. 272 *libros pontificales* appellat.

(2) Impari tamen licentia, quia in his confusioni locus non erat. Non persuadet enim Bernhardius, Grundr. d. Röm. Litt. ed. alt. p. 174 (3ᵃᵉ p. 182) ann. 127, ubi inter Augurum *libros* et *commentarios* universe distinguit, ita ut ad hos, a doctis Auguribus scriptos, aditum civibus patuisse statuat, illos in tabulario repositos existimet, nec diversos fuisse ab iis, qui *libri reconditi* dicantur. Utique apud Servium Comment. Aen. I. 398 *auguralibus commentariis* opponuntur *libri reconditi*, ut orat. pro domo XV. 39 legitur: „Venio ad Augures, quorum ego *libros, si qui sunt reconditi*, non scrutor„; sed quod fortasse in loco illo Serviano valet, non valet generatim. Quam promiscue his titulis veteres usi sint, luculente patebit conferenti inter se Ciceronem de re publ. II. 31, de div. II. 18 et Servium l.l. II. 649. Primo scribitur: „Provocationem a Regibus fuisse — significant etiam nostri *augurales (libri)*„; altero: „In nostris *commentariis* scriptum habemus, Iove tonante, fulgurante, comitia populi habere nefas„; tertio denique: „De fulminibus hoc scriptum in *reconditis* invenitur, quodsi quem principem civitatis vel Regem fulmen afflaverit, et supervixerit, posteros eius nobiles futuros et aeternae gloriae„. Adde locos qui sunt de Ti. Graccho, Plutarch. Vit. Marc. V, Ciceronis de nat. Deor. II. 4, Valerii Max. I. 1. 3, ubi laudantur ἱερατικὰ ὑπομνήματα, *libri, libri ad sacra populi pertinentes.*

sciunt, Consules in locum Regum successisse, nec aut iuris aut maiestatis quidquam habere, quod non in Regibus ante fuerit?» Haec igitur Livius, cuius mentem interpretati viri docti, aliud alii statuentes, in hoc consenserunt, si recte memini, omnes, *librorum* quorundam titulum afferri. Gravissimus is error est, ex quo non potuit non nasci in ceteris dissensio, aucta plerisque eo, quod cum *annalibus* propositas tabulas confundebant. Longum est omnium sententias memorare; paucorum memorabo, quorum Clericus, ut vestigia *maximorum annalium* ubivis fere deprehendere sibi videtur, ita etiam a Canuleio aliud spectari negat, p. 120 et 128. Contra Beckerus multum abesse ait, ut de *annalibus* Liviana accipienda sint, quippe quibus contineri nihil potuerit, quod Plebem celare Patrum interesset. Nolo quaerere, si rem prorsus non curavisse Plebs videatur, cur tamen aliquando tabulae sint propositae; manum de his tabulis: nam in causa statuenda Beckerus omnino falsus est. Quod autem designari censet libros reconditos, quos *commentarios Pontificum* et *libros Pontificum* dicit, opponens utrosque *libris pontificiis* sive *pontificalibus*, hunc quoque errorem tetigisse sufficiat. Nec Krausium refellam, cui l.l. 23 sq. «Livii verba, quae Ciceroni (historiam *annalium maximorum* tradenti, de Orat. II. 12. 52) obstare videantur, non magnum momentum habent». Denique solos *Pontificum libros* intelligit Bernhardius l.l., a vero proximus, opinor. In hac enim equidem persto sententia, et hoc loco et priore Livium eodem nomine easdem res indicare, schedas dico in penetralibus Pontificum servatas, quae tamen schedae ut variae fuerunt, ita possunt et debent pro re nata vel historicae vel sacrae in primis intelligi (1). Ita VI. 1. 2 *commentarios Pontificum* tumultu Gallico interiisse tradens, Livius procul dubio maxime historicos cogitavit, quum paulo post § 10

(1) Accessit quodammodo ad hanc sententiam Saxius, Miscell. Lips. nov. III p. 249, quo loco redarguens Bellefortium: „Commentarios Pontificum, inquit, generale nomen esse opinor, sub quo et annales et libri sacri Pontificum continebantur"; sed Saxius *annales* iam ante incendium editos statuit. Vid. etiam Klotzius p. 357 annot. 495.

suppressos Pontificum qui ad sacra pertinebant libros singulatim commemoret. Ita a Canuleio prae ceteris monumentis *Pontificum libros* indicari iam probare conabor.

Sunt querelae huius duo capita. Primum est de iure civili celato, de iure publico et sacro alterum. Illud conformavit Livius ad ea, quae facta sunt a. U. 450, quo anno Cn. Flavius «civile ius, repositum in penetralibus Pontificum, evulgavit, Fastosque circa forum in albo proposuit, ut quando lege agi posset sciretur»; quomodo ait ipse IX. 46. 5. Ad alterum querelae caput explicandum faciunt, quae tradit Dionysius A. R. X. 1, res enarrans rogatione de Decemviris paulo priores: *Κομιδῆ ὀλίγα τινὰ ἐν ἱεραῖς ἦν βίβλοις ἀποκείμενα, ἃ νόμων εἶχε δύναμιν, ὧν οἱ Πατρίκιοι τὴν γνῶσιν εἶχον μόνοι, διὰ τὰς ἐν ἄστει διατριβάς.* Quod autem iam hinc efficitur, a Canuleio omnium reconditorum monumentorum nulla magis quam sacra designari sive *Pontificum libros*, hoc non leviter confirmat Cicero de re publ. II. 31, ubi: «Idem (P. Valerius), inquit, in quo fuit publicola maxime, legem ad populum tulit eam, quae centuriatis comitiis prima lata est, ne quis magistratus civem Romanum adversus provocationem necaret neve verberaret. Provocationem autem etiam a Regibus fuisse, declarant *pontificii libri*, significant nostri etiam augurales». Pro quibus haec reddit Seneca Ep. CVIII: «(Philologus notat) provocationem ad populum etiam a Regibus fuisse. Id ita in *pontificalibus libris* aliqui putant, et Fenestella». Sed Canuleii orationem vel potius semet ipse Livius interpretatur VI. 1. 10, ubi de Tribunis militum consulari potestate, post liberatam a Gallis urbem creatis: «In primis, inquit, foedera ac leges (erant autem eae XII tabulae et quaedam regiae leges) conquiri, quae comparerent, iusserunt: alia ex eis edita etiam in vulgus, *quae* autem *ad sacra pertinebant*, *a Pontificibus* maxime ut religione obstrictos haberent multitudinis animos *suppressa*». Quo postremo testimonio ad rem, quam agimus, ideo proficimus plurimum, quod paucis versibus ante tradit Livius, quae in *commentariis Pontificum* aliisque essent monumentis, incensa Urbe pleraque interiisse. Iam enim quid

facias, si apud Livium *commentarii Pontificum* tibi sunt pro titulo librorum? Statuendum est, in Canuleii oratione ita dici *libros pontificios*, in testimonio de monumentis, quae interierunt, schedas ad historiam pertinentes. Quod mihi quidem absurdius esse videtur. Salva res est, si usum nominis Livianum patere latius dicamus, ea tamen lege, quam supra scripsi.

Itaque Canuleius quum praecipue respiciat ad *libros Pontificum*, tum queritur omnino, quod negetur Plebi aditus ad ea monumenta, quorum erant Pontifices custodes, partim etiam auctores, ad reconditum huius collegii tabularium, cuius praeter alia fuere qui postea in formam librorum redacti vocantur *annales maximi*, *commentarii Pontificum*, *libri pontificii*, ut evulgati a Flavio *Fasti*. At tabulas, ad quas patebat populo aditus, ligno factas atque exacto quoque anno propositas, nec tum adfuisse probabile est, nec, postquam proponi coeperunt, servatas esse constat. Hoc igitur si quis *annuum*, illud *aeternum* tabularium dicat, per me licet, modo desinant aliquando cum *annalibus* ipsis lignea illa monumenta confundi. Ea meo quidem iudicio una ac certa via est, qua testimoniis veterum, quae diversa aut contraria videantur, compositis ad verum perveniri queat. Sed ad alia properemus: nam plura monumenta solent cum *maximis annalibus* confundi atque ad hos plures loci falso referri.

Omnium primum proferam, quod tradit Dionysius Halicarn. A. R. I. 73: *Παλαιὸς μὲν οὖν οὔτε συγγραφεὺς οὔτε λογογράφος ἐστὶ Ῥωμαίων οὐδὲ εἷς· ἐκ παλαιῶν μέντοι λόγων ἐν ἱεραῖς δέλτοις σωζομένων ἕκαστός τις παραλαβὼν ἀνέγραψεν.* Visi sunt hoc loco *publici annales* designari, tum aliis, tum Clerico, qui p. 105 *ἱερὰς δέλτους tabulas sacras*, p. 344 hoc testimonio in fragmenta recepto *sacras tabellas* vertit. Beckerus autem (l. l. I. p. 5 ann. 1), quae monumenta designentur, incertum esse statuit. Et vero, in primis in Dionysio, quod mox affatim apparebit, certi quid ex eiusmodi titulis tam difficile eruitur, ut interdum magis quid noluerit, quam quid voluerit efficere liceat. Quocirca parum placet sententia Bernhardii, Grundr. d. Röm. Litt. I p. 174 ann. 127 (ed. 3ae p. 182), qui quum Dionysium censeat per errorem

libros Pontificum pro *annalibus* memorasse, necesse est *ἱερὰς δέλτους* intelligat *ἱερὰς βίβλους*. Sunt omnino *δέλτοι tabulae.* Hinc vero non consequitur, *ἱερὰς δέλτους* tabulas dici populo a Pontifice Maximo propositas, annuum tabularium. Neque ex hoc proficiebant, qui scribere res Romanorum cogitarent, sed universe ex commentariis Pontificum, ex tabulario aeterno, quod modo dicebam. Quae quum ita sint, mihi hic Dionysii locus eadem ratione explicandus videtur, qua Livianos sum interpretatus, nec posse ad *τὸν παρ' Ἀρχιερεῦσι πίνακα,* qui paulo post memoratur, ad solos commentarios historicos referri, a quibus etiam *λόγους* illos prolixiores alienos crediderim. Ceterum cf. Dionys. de Thucyd. iud. V, quem locum Cap. III huc rediturus describam.

Tradit porro Dionysius XI. 62 ex *ταῖς ἱεραῖς τε καὶ ἀποθέτοις βίβλοις*, a. U. 309 creatos esse et Tribunos militum consulari potestate et Consules, L. Papirium Mugillanum, L. Sempronium Atratinum. Quum sint, quibus haec ad *annales maximos* pertinere videantur, quo id iure fiat, dispiciendum est. Sic igitur Dionysius, paulo ante quam foederis facit mentionem cum Ardeatibus renovati: *Αὗται δύο κατὰ τὸν αὐτὸν ἐνιαυτὸν ἀρχαὶ Ῥωμαίων αἱ τὸ μέγιστον ἔχουσαι κράτος ἐγένοντο. πλὴν οὐκ ἐν ἁπάσαις ταῖς Ῥωμαϊκαῖς χρονογραφίαις ἀμφότεραι φαίνονται, ἀλλ' ἐν αἷς μὲν οἱ Χιλίαρχοι μόνον, ἐν αἷς δὲ οἱ Ὕπατοι, ἐν οὐ πολλαῖς δ' ἀμφότεραι, αἷς ἡμεῖς οὐκ ἄνευ λογισμοῦ συγκατατιθέμεθα, πιστεύοντες δὲ ταῖς ἐκ τῶν ἱερῶν τε καὶ ἀποθέτων βίβλων μαρτυρίαις.* Sane ipsam historiam qui spectet, eum haud nego facillime induci posse, ut hanc depromptam credat ex *maximis annalibus,* in quos vix dubium est quin itidem fuerit relata; sed his finibus contenti esse iubemur, neque sola fragmenti ratio attendenda est. Iam primum enim tantum apparet, ne titulum quidem dici posse, quo Dionysius nomine utitur, sed indicari generatim monumenta, quae sacra quadam custodia diligenter tenerentur. Hac autem in re dubito an Dionysio quisquam fluctuaverit magis, qui, ut exempla non plane diversa afferam, quoties id genus commentariorum designat, toties sive propriam seu dubiam, sed novam promit inscri-

ptionem, quales sunt, praeter τὰς περὶ τῶν ἱερῶν συγγραφὰς Numae (vid. p. 8), ὁ παρ' Ἀρχιερεῦσι πίναξ, Ἱεροφαντῶν γραφαί, ἱεραὶ δέλτοι, ἱεραὶ βίβλοι, et iam ἱεραὶ καὶ ἀπόθετοι βίβλοι. Esse autem ἱερὰς βίβλους vidimus (p. 16) *pontificios libros*, qui tamen eo loco, quem nunc examinamus, manifesto indicati non sunt. At qua tandem veri specie id nomen explicemus *annales maximos*, quos Octaviano Imperatore ἀποθέτους dicere cui in mentem venisset? Quid plura? Cogitantem quae porro disputanda sunt, uti hoc exemplo iuvabat, quo ostenderem, incerto libri titulo quam parum fragmenti alicuius sedem quaerenti solo argumento fidendum sit. Livius enim IV. 7. 10 sqq., eorundem Consulum mentione illata: «His Consulibus, inquit, cum Ardeatibus foedus renovatum est; idque monumenti est, Consules eos illo anno fuisse, qui neque in annalibus priscis neque in libris magistratuum inveniuntur. Credo, quod Tribuni militum initio anni fuerunt, eo, perinde ac si totum annum in imperio fuerint, suffectis his Consulibus, praetermissa nomina Consulum horum. Licinius Macer auctor est, et in foedere Ardeatino et in *linteis libris* ad Monetae inventa». Haeccine clara et aperta sunt? Tamen in fragmenta *annalium maximorum* tum Dionysii locum, tum Livii Clericus (p. 93 sq., 108, 358) infersit, sed causa motus singulari. Nimirum scripsit alter οὐκ ἐν ἁπάσαις χρονογραφίαις, «*neque* in *annalibus priscis*» alter (1). Significari apud Dionysium *libros linteos*, qui dicuntur, non fugit Krausium p. 26; qui libri quales fuerint, non huius loci est inquirere. Diversos saltem fuisse a *maximis annalibus* ita constat, ut refutando errore eorum, qui cum *annalibus* illos confuderunt (2), plus temporis terere nolim.

---

(1) Utitur Clericus p. 94 etiam hoc lepidiore argumento, debuisse persuasum esse Livio, si ipse ea parte *annalium maximorum* usus non sit, profecisse ex iisdem, quem auctorem sequeretur, Licinium. — Ceterum Beckerus (I p. 10 ann. 13) "*priscis* annalibus" *maximos* intelligit, ita ut ex Macro citentur.

(2) Factum videas a Dodwello, Praelectt. Acad. App. p. 654 sqq. Addun-

Ἔχων ἀέκοντί γε θυμῷ eo traducor, ut de locis absolvam, qui apud Graecos Latinosque scriptores afferuntur ex *χρονογραφίαις, ἀρχαίαις ἀναγραφαῖς, annalibus* et similibus monumentis. Horum enim plurima, in primis adiecto *priscis* vel *veteribus* fretus, sed *annalium* tituli tenax, aliis vicissim et dux et comes, Clericus fragmentis *annalium Pontificum* immiscuit. Et tamen idem — mirabile dictu! — legem ipse fert et religiose vult observari, ne alia huc referamus, nisi quae diserte dicantur ex *Pontificum annalibus* petita esse, ex *annalibus publicis*, ex *annalibus maximis* (1). Et vero, huic uni legi obtemperandum est, quantumcunque passim ad contrarium allicere ratio loci videtur (2). Ab hac lege si semel recesseris, ubi subsistas? Nam quod Varroni, quod Tullio condonabis, id Livio, Plinio, Gellio, aliis negare tibi non licebit. Tum, si quatuor locos Plinianos, qui ex *annalibus* citantur, ad *maximos* pertinere dices, aut eodem titulo allatos eodem pertinere iubebis, atque adeo numerum facies plus triplo maiorem (3), aut ad arbitrium lubidi-

---

tur a Clerico p. 133 sq. Bouchaud, Mém. de l'Acad. d. Inscr. Tom. XLI p. 60, et Lévesque, ibid. Tom. II p. 322.

(1) Ita etiam Bellefortius censuit, adversante Saxio, Miscell. Lips. nov. II p. 456 sq., qui proinde p. 646 sqq. *maximorum annalium* fragmenta explorans ingentem reliquiarum acervum ex scriptoribus praesertim Latinis effodit, quarum plerasque Clericus probavit. Quod verbo monuisse satis duco. Neque enim Saxium, magna industria haec persecutum, usque in viscera terrae sequi iuvat.

(2) „*Il me semble donc que l'on ne doit admettre comme Annales des pontifes que les ouvrages cités sous les titres:* Annales pontificum *ou* pontificis [?], Annales publici, Annales maximi; *et je n'ai pas cru devoir discuter l'opinion bizarre du Hollandais Siccama* (ap. Graev. Antiqq. Rom. VIII p. 37), *qu'après* maximi *il faut toujours sous-entendre* pontificis". Haec Clericus p. 127, quibuscum contulisse iuvabit, quae pollicetur p. 34, descripta infra p. 31 sq., tum quae concludit p. 138: „*Restent donc, pour exprimer les tables historiques des pontifes, le mot* Annales, *et quelquefois celui de* commentarii". Hic igitur omne adiectum aspernatur, cuius rei rursus velut rationes reddit p. 172.

(3) Testatur Clericus ipse p. 40: „*Pline l'ancien allègue quinze ou vingt fois les Annales, les anciennes Annales*". Debebat igitur, ne a semet ipse

nemque ages; id quod suo ipse exemplo Clericus luculentissime probavit.

In Graecis scriptoribus duos Clericus reperit, qui ex *annalibus Pontificum* vel ipsi vel per alios profecisse videantur, Polybium et Dionysium; cui sententiae non est quod adverser; sed est quod plerisque, quibus Clericus utitur, argumentis, ut certos quosdam locos ex his annalibus ductos ostendat. Ubi enim Polybius (Hist. V. 33. 5), cuius verba alibi adscribam, *χρονογραφίας* meminit, *πολιτικῶς* in parietibus factas, quis cum Clerico (p. 101 sq., 368 sq.) *publicos annales* vertens sive *chronologias publicas*, hoc non fragmentum, sed testimonium, ad solos Romanos traxerit? Nec felicior ille est in Dionysio (1), quamquam ex se minus perspicitur, quae monumenta ab hoc scriptore designentur A. R. IV. 2, ubi de Servio Tullio exponens: *Φέρεται δέ τις*, inquit, *ἐν ταῖς ἐπιχωρίοις ἀναγραφαῖς ἕτερος ὑπὲρ τῆς γενέσεως αὐτοῦ λόγος*. A Clerico (p. 107, 348) *ἐπιχώριοι ἀναγραφαὶ* explicantur *tabulae historicae Romanorum* et *annales Pontificum*. At tabulae *δέλτοι* (2) sunt et *πίνακες* et *σανίδες*, etiam Dionysio (I. 74, III. 36, IV. 43). *Τὸ ἐπιχώριον* autem *τῷ ξενικῷ* opponitur. Itaque de rebus Romanorum tradens homo Graecus patria illorum monumenta recte vocavit *ἐπιχωρίους ἀναγραφάς*, quum scribere *δημοσίας* debuisset, si voluisset *publica* indicare. Vertam igitur apud Dionysium *in patriis Romanorum commentariis*, communi

discreparet, in fragmenta sua etiam ea recipere, quae leguntur II. 54; VII. 3, 16; VIII. 54, 69, 78; X. 17; XIX. 26; XXVI. 4. Tradita a Plinio II. 57 satis habet tetigisse p. 227.

(1) Qua ratione in Dionysio universe Clericus argumentetur, optime discas ex iis, quae leguntur p. 104 sq., ubi illum monet nusquam quidem in fontibus suis memorare *annales maximos*, sed ad hos saepius respicere videri, ut nisi ab ipso, at certe a scriptoribus, quos sequeretur, consulti fuerint. Rem p. 110 inde repetit, quod non cuivis homini adire commentarios Pontificum contingeret, idque Graeco in primis esset difficile.

(2) Videri tamen Dionysium *ἱεραῖς δέλτοις*, quas tradit I. 73 fontem fuisse, ex quibus antiqui annalium scriptores vetustas fabulas (*λόγους*) peterent, indicare praecipue *libros*, non *tabulas* Pontificum, ut Clericus statuit, paulo ante effeci, p. 17 sq.

huius nominis significatione, ita quidem ut *sacri* commentarii non respiciantur, etsi narratio ipsa huic interpretationi vix obstat. Sed quod ex se parum perspicuum est, id similia illustrant, ut *Σαβίνων ἱστορίαι ἐπιχώριοι*, quas memorat Dionysius II. 49, et *ἐπιχώριοι γραφαί*, ex quibus refert III. 46 de origine Tarquinii Prisci, quo loco Clericus (p. 74 sq.) verti iubet *in illius gentis* (Etruscae) *annalibus* (1). Postremo, *ἐπιχώριοι* illae *ἀναγραφαί* sunt, quae vulgo et ab ipso Dionysio IV. 30 et XI. 62 appellantur *ἐνιαύσιαι Ῥωμαίων ἀναγραφαί* et *Ῥωμαϊκαὶ χρονογραφίαι*, quorum locorum hunc supra tractavi p. 18 sq., illum tango propter interpretationem Clerici (p. 105, 350) *annuas tabulas*. Non sensisse eum, quam licenter evagaretur, aut si senserit, non propere recessisse, prorsus non intelligo. Accipe hoc ultimum in Dionysio exaestuantis critices *γεῦμα*. Tradit ille VII. 1: *Ἔοικεν ὁ πρῶτος ἐν ταῖς χρονογραφίαις τοῦτο καταχωρίσας, ᾧ πάντες ἠκολούθησαν οἱ λοιποί, τοσοῦτον μόνον ἐν ταῖς ἀρχαίαις εὑρὼν ἀναγραφαῖς κτέ.* Quid enim plura describam? En *χρονογραφίαι*, quae apud Polybium et Dionysium XI. 62 Clerico sunt *Pontificum annales*, iam iunctae cum *ἀρχαίαις ἀναγραφαῖς*, *veteribus commentariis*, ex Clerici autem ratione, ne a se ipse dissentiat, *priscis annalibus*. O diras angustias! Quid multa? «Rebus angustis animosus atque fortis appare». Clerico teste, hoc loco Dionysius *χρονογραφίαις* designat *historias*, hoc loco *ἀρχαίαις ἀναγραφαῖς antiquas tabulas* (2).

---

(1) „*Ce qui ne veut pas dire* in Romanis commentariis, *comme on lisait autrefois dans la version latine, mais, comme on y lit aujourd'hui*, in illius gentis annalibus". Altero loco Clericus, p. 73, vertit *les histoires locales des Sabins.*

(2) Rursus verba ipsa adscribam: „*C'est que probablement le premier qui enregistra ce fait dans* l' histoire, *et qui fut copié de tous les autres, ayant lu seulement dans* les anciennes tables" etc. Vid. p. 353, 355, coll. p. 109. Ceterum de hoc Dionysii loco, quem solum affert, idem asseverat Saxius, l. l. III p. 267: „Dubium nullum est, quin per *ἀρχαίας ἀναγραφὰς* apud Dionysium publicae monumentorum tabulae significentur. Opponuntur enim, ut puto, *χρονογραφίαις*, et hae solae scilicet erant *ἀξιόχρεοι*".

Multo plura vestigia Pontificum a Clerico apud Latinos deprehendi, non admodum mirum videtur. Affert enim viginti fere fragmenta, quorum quum pleraque nullo iure *maximis annalibus* adiudicentur, nonnisi pauciora rationem horum annalium satis bene referre videntur. Agmen aperit hic Varronis locus, de ling. Lat. V. 10 p. 79: «Et arae (1) Sabinum linguam olent, quae Tati Regis voto sunt Romae dedicatae; nam ut *annales* dicunt, vovit Opi, Florae, Vediovi (2) Saturnoque; Soli, Lunae; Volcano et Summano; itemque Larundae, Termino, Quirino, Vortumno, Laribus, Dianae Lucinaeque». Cf. Clericus p. 35, 344. Etiam Beckerum aliosque complures vix dubitasse scio, quin essent haec Varronis ex annalibus *maximis* deprompta; itaque posse videri facillime largior; sed ad acriorem normam quam ad speciem haec dirigenda sunt. Tum rogare mihi liceat, adeone aliena sint a ratione annalium v. c. Pictoris Fabii, ut ex his ducta esse historia non possit? Ex fragmentis, a Krausio collectis atque ab Harlessio in Comment. de Fabiis et Aufidiis p. 13 sqq., equidem aliter iudico. Nec quamvis leve videatur, negligendum testimonium est, quod dicit Quinctilianus I. O. I. 6. 12: «*Varro* in eo libro, quo initia urbis Romae enarrat, lupum feminam dicit, *Ennium* (lib. I fragm. XLIX ed. Vahlen.) *Pictoremque Fabium secutus*»; ut etiam in libris de lingua Latina plus quadraginta locis Ennius nominatim laudatur. Porro quid vetat intelligere Cincii Alimenti annales? De quo scriptore Livius VII. 3. 7: «Volsiniis quoque clavos, indices numeri annorum, fixos in templo Nortiae, Etruscae Deae, comparere, diligens talium monumentorum auctor Cincius affirmat». Denique, haud ita ineptum sit Calpurnii quoque Pisonis rationem habere, in primis si attendas, quae ex huius annalibus de lacu Curtio, qui Sabino bello nomen acceperit, et de porta Ianuali, ab Iano dicta, ipse Varro eodem libro V profert, p. 41 et 46.

---

(1) Ex emendatione O. Muelleri pro *ea re*.

(2) Sic Beckerus correxit l. l. I p. 5 ann. 4. Vulgo *Floraeve; Diovi*. Muellerus: *Florae, Vedio, Iovi*.

Quae quum ita sint, mihi videtur Clericus et laudato loco et hoc altero Varronis, qui legitur V. 20 p. 130, fragmenta *annalium maximorum* temere auxisse (p. 35, 370): «Lepus, quod Siculi quidam Graece (1) dicunt *λέποριν*, a Roma quod orti Siculi, ut *annales veteres* nostri dicunt, fortasse hinc illuc tulerunt, et hic reliquerunt id nomen». Quod autem ille opinionem suam commendaturus asserit: «Diligens grammaticus, qualis Varro fuit, qui nominat ubivis poëtas (2), historiarum scriptores, iuxta libros ab ipsis editos, non potuit dicere simpliciter *annales*, nisi quum quod citaret scriptoris nomen non habebat»;— eo, si veram rem esse fingamus, nimium se probare certe non animadvertit: nam citare auctores suos *Pontifices* Varro quum posset, tum tanto debebat magis, quanto praestabat diligentia (3). Itaque Clericus etiam in Servio causa cadit, cuius verba, petita ex *annalibus*, consimilem causam praetexens Pontificum esse contendit, p. 36, 370, repudiatis sententiis Burmanni, qui Cassianos, et Barthii, qui Ennianos annales intellexit. Servius enim Aen. III. 384: «Et quidam *lentandus* nove verbum fictum putant; sed in *annalibus* legitur: *Confricati, oleo lentati paratique ad arma*». Haec quo pertineant quis probaverit? Sed paulo tamen meliore iure quam ad Pontifices referri ad Ennium videntur, cuius *octavo annali* tribuit Spangenbergius, Enn. Annal. fragm. p. 116, *primo* vindicarunt Ilbergius et Vahlenus, quem vide p. XXXVII, sic restituto metro: *Confrictique oleo lentati et ad arma parati.* Cf. Ribbeckius, Mus. Rhen. X. 2 p. 271.

Quum parum iuvet, imo taedeat fere in levibus plerumque

---

(1) Scripsi de coniectura pro vulgari *Graeci:* trilingues enim *Siculi*, quod nomen pro *Siculis*, ut legebatur, iam Spengelius proposuit.

(2) *Παρὰ τὴν ἱστορίαν.* Vel vicies in libris laudatis a Varrone versus poëtarum, quorum addere nomina supersedet, allatos videas.

(3) Tertio Varronis loco Clericus fragmenta *annalium* non auxit, sed monuit tamen p. 35, viros doctos parum attendisse, quod apud Charisium (ed. Putsch. p. 97) Varro memorat „eclogas ex *annalei* descriptas“.

coniecturis falsisque opinionibus redarguendis occupatum esse, susceptum officium vereor ut satis exsequar, si mera rerum enumeratione contentus omni disputatione abstineam. Pergam igitur qua coepi via, ita quidem ut gradum vix sistam, nisi ubi maiora spectanda dentur aut — quidni enim temperemus seria iocis? — hilariora.

Ex Ciceronis qui est de divinatione libro I Clericus duo fragmenta eruit (1), quorum altero (c. 17), narrata historia de Tarquinio et Attio Navio: «Negemus omnia, inquit ille, comburamus *annales*, ficta haec esse dicamus». Scilicet haec Clerico (p. 87, 348) pro indicio sunt *maximos* annales spectari. Alterius loci (c. 44) nihil nisi initium afferam: «Quid, quod in *annalibus* habemus, Veienti bello, quum lacus Albanus praeter modum crevisset...?» Cf. Clericus p. 87, 362. Utique subit mirari, qui tam longe exspatiatus adeo sitiret *annales maximos*, eum in Cicerone ita sibi imperasse, ut insuper ex hoc fonte nonnisi ter quaterve hauriret; quod ipsum quo egerit modo, paucis indicavi p. 6 sq., et mox magis etiam apparebit. Sed omnium maxime mirum hoc est, fugisse Clericum Tullii ad Ser. Sulpicium verba, orat. pro L. Murena VII. 16 : «Non ex sermone hominum recenti, sed ex *annalium* vetustate eruenda est memoria nobilitatis tuae». Tu causam quaeris, cur adeo id mirum sit? Non celabo equidem. Visi sunt Clerico (p. 24, 52) *maximi* annales spectari versibus Ovidianis, Fast. I. 7 sq.:

Sacra recognosces, annalibus eruta priscis,
Et quo sit merito quaeque notata dies.

Tum qui leguntur Fast. IV. 11 sq.:

Tempora cum causis, annalibus eruta priscis,
Lapsaque sub terras ortaque signa cano.

Non est profecto, quod Ciceronis comitis Ovidium pudeat. «Sed tamen amoto quaeramus seria ludo».

Laudantur a Cicerone, si recte memini, tribus locis, laudantur etiam a Livio et Gellio *annalium monumenta*, ut a Plinio N. H.

(1) Idem a Saxio factum video, l. l. II p. 456.

II. 57 *monumenta.* Et hunc quidem locum cur male Clericus *maximis annalibus* adscripserit, altera huius disputationis parte explicare opportunius est; ceteros vero minus fortasse curassem, nisi unum praesertim testimonium Ciceronis, primum legenti, scrupulum mihi iniecisset, eoque Beckerum (l.l. I p. 9) inductum vidissem. Ait enim ille orat. pro Rab. V. 15: «Hic se popularem dicere audet, me alienum a commodis vestris, quum iste omnes et suppliciorum et verborum acerbitates non ex memoria vestra ac patrum vestrorum, sed ex *annalium monumentis* atque ex Regum commentariis conquisierit...?» Videtur hoc testimonium, ceterum non dissimile a loco orationis pro Murena, quem paulo ante laudavi, in argumenti levitate gravitatis aliquid habere eo, quod simul et altero demum loco laudantur vetusti commentarii Regum; qui tamen rem bene perpenderit, ne tantis capiatur illecebris probe cavebit. *Annalium monumenta* dixit ibi Cicero, tum commentarios Regum, eodem ordine et eadem fere sententia atque ipse scripsit de Orat. I. 60. 256: «Historiam dico et prudentiam iuris publici et antiquitatis iter». Licet adeo, si solam sententiam spectes, haec Tulliana «annalium monumenta» cum loco Liviano XXVII. 8. 9, ubi sermo est de «non exoletis vetustate annalium exemplis», ita conferre, ut utrobique antiquitatis memoriae opponi efficiamus memoriam recentiorem. Neque alium esse locutionis usum Cicero ipse ceteris duobus quos significavi locis plane probat. Servavit enim Nonius v. *cognoscere*, IV p. 275 s. f. (ed. Roth. p. 189), hoc fragmentum Hortensii Tulliani: «Unde autem facilius quam ex *annalium monumentis* aut bellicae res aut omnis rei publicae disciplina cognoscitur?» Quo fragmento quam perverse *Pontificum annales* prae aliis spectari iudicaret (p. 90), Clericus videre poterat ex pluribus eiusdem scriptoris locis, quorum est de Orat. I. 46. 201: «Existimem... *monumenta rerum gestarum et vetustatis exempla* oratori nota esse debere». Adde l.l. 34. 159; sed confer in primis Brut. XCIII. 322, quo loco praeter Hortensium nemo in oratoribus aequalibus repertus dicitur, «qui *memoriam rerum Romanarum* teneret, ex qua, si quando opus esset, ab inferis locupletissimos

testes excitaret», — haec confer, inquam, cum tertio testimonio Ciceronis, de Fin. II. 21. 67: «Nos ex *annalium monumentis* testes excitamus eos, quorum omnis vita consumta est in laboribus gloriosis, qui voluptatis nomen audire non possent». Nonne ex his omnibus luce clarius est, *annalium monumenta* pro *historia* dici, teste temporum ac magistra vitae, valere *historiarum libros* vel *libros annales*? Vel sic tamen Clericus ex hoc Ciceronis qui est de Finibus loco, annexis quoquomodo et praecedentibus et sequentibus verbis, duo creavit *maximorum annalium* fragmenta. Vid. p. 350, 352, 356, coll. p. 87 sq. Denique, rogatos velim, quibus sunt *annalium monumenta* pro *annalibus maximis*, qua ratione expediant, quod de Silvio, post mortem Aeneae nato, Gellius ait II. 16: «in *omnium* ferme *annalium monumentis* scriptum esse» (1), quodque Quinqueviros mensarios «per *omnium annalium monumenta* celebres nominibus» dicit Livius VII. 21. 6.

Porro ambulemus, ut salutatis ἐν παρόδῳ Plinio, Floro Gelliique hospite Asellione (2) apud Livium paulisper dever-

(1) Quoniam hoc ago, conferre etiam Livium iuvat VII. 19, ubi *annalium monumenta* ipse interpretatur *veteres annales*. Prope ut credam absum, hoc vocabulo *monumenta* velut vi quadam magica nonnullos inductos esse, ut apud Livium VI. 1. 2, quod ibi *commentarii Pontificum* et „pleraque *monumenta*" simul afferuntur, illis *dealbatas tabulas* designari putarent. Sunt tamen proprie *monumenta*, ut auctor est Cicero ad Caes. Ep. II (ap. Nonium I p. 32, ed. Roth. p. 22), quae „ad memoriam spectant posteritatis"· Quid adeo miremur, ut *commentarios*, ita *monumenta* libros dictos esse, qui rerum gestarum memoriam atque universe res memorabiles continerent? Cff. Cic. de republ. II. 14, V. 2; de div. I. 17; ad div. V. 12. 1; Plin. N. H. VII. 17, X. 17 init., de cuius testimonio: „relatum in *monumenta* est", infra disputabo.

(2) Gellii ipsius quatuor locos quum ductos ex *annalibus maximis* fere sibi persuadeat, eo tamen referre Clericus veretur, p. 42. Sunt illi I. 19 („in *antiquis annalibus* memoria super libris Sibyllinis haec prodita est" rell.); II. 11 („L. Siccium Dentatum ... scriptum est in *libris annalibus*, plus quam credi debeat, strenuum bellatorem fuisse"); III. 15 („in *nostris annalibus* scriptum legimus") et VI. 7 („Accae Larentiae et Caiae Tarratiae, sive illa Fufetia est, nomina in *antiquis annalibus* celebria sunt"). Facile erat hanc viam ingresso numerum duplicare.

tamur. E Plinio igitur Clericus, p. 41 et 366, magna quidem pro tanta copia (cf. supra p. 21) moderatione usus, primum Pontificibus vindicat quae leguntur N. H. VIII. 82: «Venisse murem CC denariis Casilinum obsidente Hannibale, eumque qui vendiderat fame interiisse, emptorem vixisse, *annales* tradunt». Cf. Livius XXIII. 19. 13. Potuerunt sane ita tradere Pontifices, sed pariter potuerunt alii. Cur v. c. minus haec in Fabium Pictorem conveniant, quem in hoc bello describendo copiosiorem Plinius historiarum eiusdem farinae auctorem laudat X. 24 et XIV. 13, vel quo saepissime usus est, Pisonem, quam in *Pontificum annales?* Num forte, quod ex Catone constat (Gell. II. 28 s. f.), scriptum fuisse in tabula Pontificis «quotiens annona cara», idem de annalibus Fabii et Pisonis non constat? Tamen Clericus res serias tam agit serio, ut p. 42, citatis Plinii ceteris verbis (quae cur non item in fragmenta receperit, incertum est): «Soricum occentu dirimi auspicia, *annales* refertos habemus», haec nescio quam opportune moneat: «Sacri hi *annales* (Pontificum) soli tradere poterant, quoties soricis occentu dirempta essent auspicia». — Sequuntur Pliniana, quae sunt XXXIII. 6, ubi narratur de indignatione Patrum et nobilium, Cn. Flavium Tribunum Plebis creatum, mox etiam Aedilem Curulem, graviter ferentium. Cuius loci sententia etsi nunc demum recte percipitur post praeclaram Silligii recensionem, discere tamen Clericus (p. 40, 362 sq.), si incredibili *annalium Pontificum* studio «mens non laeva fuisset», ex Livio (IX. 46. 2 sqq.), qui *quosdam annales* et Macrum Licinium auctores laudat, discere ex L. Pisonis *tertio annali* (Gell. N. A. VI. 9) potuisset, quam inconsideratum esset Plinii «*antiquissimos* annales» *maximos* interpretari, quamvis ipsa annalium verba «sed et phalera posita» a Plinio afferantur. Aliud est quaerere, num videantur talia ex Pontificum commentariis, fonte primario, in rivulos fluxisse, ex quibus suam aquam Livius hausit; sed haec quaestio non agitur, et, nisi instituatur prudentissime, facile ad nugas et ineptias rapit. Nec gravior mihi suppetit causa, cur cum Beckero (I. p. 10) eandem interpretationem accommodemus testimonio Plinii XXXIV. 11, quem

locum Clericus (p. 41, 356 sq., 364 sq.) ita dipescit, ut duorum fragmentorum alterum exhibeat «ipsa *annalium* verba: quod campum Tiberinum gratificata esset ea (Tarratia Caia) populo», alterum «quod *annales* adnotavere». Cur haec quoque Plinius non potuit depromere a quovis annalium scriptore, velut Pisone et Antiate, paulo ante ab ipso laudatis, sed scripta oportuit in solis *annalibus maximis* (cf. Gellius VI. 7), quos, quod in tota hac re probe tenendum, in plurimis auctoribus suis Plinius ne semel quidem commemoravit? Cf. Klotzius p. 367 ann. 526. Atque haec de Plinio.

Non diu nos tenebunt Florus et Asellio, quorum ille I. 10: «Tunc illa Romana prodigia atque miracula, inquit, Horatius, Mucius, Cloelia, quae nisi in *annalibus* forent, hodie fabulae viderentur»: quae enim haec sit Clerici (p. 42, 352) fabula, nemo non videt. Merae autem nugae sunt ad reliquias *annalium maximorum* referre, ut retulit Clericus p. 15, 151 sq., 368 sq., Sempronii Asellionis apud Gellium V. 18 verba, quibus alios esse *annales* ostendit, alias *historias*, quidquid vult Clericus (p. 7) videri hoc fragmentum, quod scilicet Niebuhrius, «auctor iste epopoearum», aut consulto omiserit aut neglexerit (p. 151), primus ex latebris eruisse inque lucem protulisse (1). Sed ad Asellionem infra revertar.

Iam Livium adeamus, in cuius *historiis* quum plus vicies laudentur *annales*, Clericus saepissime quidem agnovit «Pontificum manum», sed — «adsit reverentia vero» — fragmenta *annalium maximorum*, digna quae reciperet, nonnisi quatuor detexit, quorum nimirum illud (IV. 7. 10 sqq.) unum sit, quod p. 19 cum testimonio Dionysii (XI. 62) contuli. Alterum quum afferret Clericus p. 346 (coll. p. 12, 94, 121), haud scio an

(1) Memorare etiam Censorinum poteram, qui quum de die nat. XVII dicat: „temporum si veterum revolvuntur *annales*", mox laudaturus L. Pisonem, Cassium Heminam, Cn. Gellium, Valerium Antiatem, alios, Clericus testatur p. 118: „*Censorin .... indique vaguement les anciennes Annales*", aperte intelligens *maximos*. In hoc certe cautior fuit Saxius, l. c. II p. 651.

risum movere voluerit. Quid enim? Pro fragmento venditat, quod Livius testatur I. 32. 2, Anci Marcii iussu Pontificem sacra publica ex commentariis Numae in *album* relata proposuisse in publico. Tertium finxit temere (p. 28, 91 sq., 366) ex eo, quod legitur XXVII. 8. 9, ubi C. Flacco, Flamini Diali, a L. Licinio Praetore ius in senatum introeundi negatum traditur. «Praetor, inquit Livius, non exoletis vetustate *annalium* exemplis stare ius, sed recentissimae cuiusque consuetudinis usu volebat; nec patrum nec avorum memoria Dialem quemquam id ius usurpasse». In eandem sententiam inclinavit quidem, sed non abiit Beckerus (l. l. p. 9), prudenter animadvertens, posse etiam Livium videri ita de sua persona locutum esse, atque universe exempla respici vetusti temporis; quo nihil magis et rationi consentaneum est et, ut p. 25 sqq. ex Cicerone effeci, veritati. Quid, quod a. U. 544 nec quisquam Romanus privatim scripserat annales, nec confecti erant, ut Cap. II ostendam, publici? Tandem, ut de quarto loco Liviano absolvam, legitur IV. 20. 8, ubi quaesivit Livius, A. Corn. Cossus Tribunusne militum an Consul a. U. 317 secunda spolia opima Feretrii Iovis templo intulerit. Quo loco doctissima disputatione illustrato iam Perizonius (Animadv. hist. VII) *Pontificum annales* intellexit, quem tum alii secuti sunt, tum Beckerus (l. l. p. 10). Equidem argumentorum, quae passim attuli, nullum repeto, quo eam opinionem refellam, quum ipsa refellat loci ratio. «Qui si ea in re sit error, inquit Livius, quod tam *veteres annales* quodque magistratuum libri, (et) quos linteos in aede repositos Monetae Macer Licinius citat identidem auctores, nono post demum anno cum T. Quinctio Penno A. Cornelium Cossum Consulem habeant, existimatio communis omnibus est». Hactenus Clericus p. 360 Liviana affert; reliquum testimonium addam. «Nam etiam illud accedit, ne tam clara pugna in eum annum transferri possit, quod imbelle triennium ferme pestilentia inopiaque frugum circa A. Cornelium Consulem fuit: adeo ut *quidam annales*, velut funesti, nihil praeter nomina Consulum suggerant». Quorum alio loco (p. 95) memor Clericus, carpens negligentiam Livii in citandis

auctoribus suis, sic iudicat: «Ubi venit ad tempora, post captam Urbem secuta, (Livius) saepius *annales* consulit; quos vero consulat, nunquam dicit (*«vetustiores annales»*, *«alii annales»*, VII. 9, 18 etc.). Nullo loco nominatim designat *maximos.* Livius, qui sibimet ipse saepe contradicit, in hoc saltem sibi voluit constare, ut, quum *annales Pontificum* tantum non totos interiisse tradat, eosdem *ne semel quidem laudet*». (Cf. id. p. 92 et 112, ubi etiam dubium movet, an Livio patuerit ad commentarios Pontificum aditus.) Aut fallor, aut habes confitentem reum; habes etiam, qui sibimet ipse miro modo non constet. Ut autem scias, quam sint variae eruditorum sententiae, verba afferam Harlessii l. l. p. 33: «Cum aliis tum Pictori vindicanda sunt, si quae Livius aut in «omnes» aut in «vetustissimos» aut in «vetustiores» saltem «auctores» cadere confirmat». Sui tamen iuris est Harlessius, qui primas tantum in Fabium deferat, a Livio aliquoties laudatum. Aliter Lachmannus, qui quum *annales maximos* a Livio adhibitos neget (1): «Non enim cum *annales* antiquos laudat, inquit, de maximis illis intelligendum est cum Sallierio, Hookio, aliis. Et haud scio an recte Beckius in Epicrisi de H. R. antiquae fontibus Lips. 1812 p. X ad hos etiam referat ea, quae apud Gell. VI. 7, II. 11, Varron. L. L. V. 10, Plin. XXXIV. 6 ex antiquis annalibus afferuntur». Quae Clericus ferme quidem probavit (p. 34) (2), sed ita secutus est, ut quae de Regum primisque rei publicae temporibus a Livio narrantur, ple-

---

(1) Idem statuit Krusius, dissert. de fide Liv. II p. 43, 46. Plura autem monumenta, a Livio neglecta, recenset Lachmannus, de fontt. Liv. I p. 10 sqq., in cuius iudicio de Beckio apparet „recte" per errorem dictum esse pro „male".

(2) Hunc locum supra cogitabam p. 20, nunc describam. „*J'avoue que, loin de faire comme Théodore Ryckius* (de primis Italiae colonis, c. 10) *ou d'autres compilateurs peu sévères, qui prennent pour des textes certains des Annales tous ceux qui sont indiqués par ces mots*, pontificales libri, *ou* antiqui Annales, *ou simplement* Annales, *je pencherais plutôt pour la critique rigoureuse de Lachmann, qui blâme l'abbé Sallier, Hooke, Beck, d'avoir cru les retrouver* BEAUCOUP TROP FRÉQUEMMENT *dans Tite-Live; et je bornerais à un*

raque crederet *Pontificum annalibus* deberi. Vid. eius p. 37sqq., coll. p. 32, 53 sq., 93 sq.

Unum mihi restat, ut paucis rationes reddam, cur a reliquiis *annalium maximorum* abesse iusserim, quae traduntur in libello *de origine gentis Romanae*, probata plerisque, qui de his annalibus disseruerunt, sed a Clerico iure reiecta (1). Satis enim hodie constare arbitror, hunc commentariolum meram esse compilatoris alicuius neque ingeniosi neque astuti fraudem (cf. Hertzius de Luciis Cinciis p. 16 sq.), et fortasse minore etiam pretio aestimandum, quam quo post Dodwellum Hercherus aestimavit libellos, qui Plutarchi nomine feruntur, *Περὶ παραλληλων Ἑλληνικῶν καὶ Ῥωμαϊκῶν* et *Περὶ ποταμῶν καὶ ὀρῶν* inscriptos. Quam parum caute tecteque falsarius ille rem suam egerit, vel ea ipsa luculente arguunt, quae lectorum credulitate nimis confisus finxit esse *annalium Pontificum*, c. XVII. Quid enim? Si *annali Pontificum* IV, quem librum bis memorat, scriptum sit de simulacris Deorum Penatium, semel atque iterum Lavinio in recens conditam Albam frustra translatis, tum vero etiam hoc, posteros Silvii Postumi omnes cognomento Silvios usque ad conditam Romam Albae regnavisse (2), quid tandem *annali* I expositum, unde hic duxisse initium videatur, nisi ab eo rerum Romanarum statu, qui fuit

Ante mare et terras et quod tegit omnia coelum? (3)

Sed de fabulis iam satis. Ad facta veniamus.

---

bien petit nombre, non pas même les textes certains, mais les citations indirectes qui paraissent nous en rester". Qua editione disputationis Lachmanni Clericus usus sit, ignoro: in mea ita non legitur.

(1) l. c. p. 126, quam tamen sententiam ita mitigat p. 143, ut in fabulis, a falsario traditis, fere agnoscere sibi videatur *veros annales Pontificum.*

(2) Nollem his fidem ipse habuissem, de Corn. Alexandro Polyh. disputans, Miscell. philol. et paedag. Fasc. I p. 104 sq.

(3) Manifestior fraus est, si, quod videtur, c. XVIII in allato titulo "annalium lib. VI" *Pontificalium* audire licet. Inde enim petita fingitur de Aremulo Silvio, Albanorum Rege, historia, quam dixeris esse imitationem narratae ab Apollodoro I. 9. 7 de Salmoneo fabulae.

CAPUT II.

Annalium maximorum historia.

Annalium maximorum velut historiam quum scripserint summatim Cicero de Orat. II. 12. 52 sq. et Servius Comment. Virg. Aen. I. 373, adumbrata simul universa eorum ratione, ab his locis fiat mihi disputationis principium. Sic igitur apud illum Antonius:

> Erat historia nihil aliud nisi *annalium* confectio. Cuius rei memoriaeque publicae retinendae causa, ab initio rerum Romanarum usque ad P. Mucium Pontificem Maximum, res omnes singulorum annorum mandabat literis Pontifex Maximus, referebatque in album, et proponebat tabulam domi, potestas ut esset populo cognoscendi: ii qui etiam nunc *annales maximi* nominantur. Hanc similitudinem scribendi multi sequuti sunt, qui sine ullis ornamentis monumenta solum temporum, hominum, locorum gestarumque rerum reliquerunt.

Serviani testimonii ansam habet, quod apud Virgilium Aeneas de suorum «laborum *annalibus*» memorat (1). Est autem illud huiuscemodi:

> Livius ex annalibus et historia constat. Haec tamen confunduntur licenter, ut hoc loco (Virgilius) pro *historia* inquit *annales*. Ita autem *annales* conficiebantur: tabulam dealbatam quotannis Pontifex Maximus habuit, in qua praescriptis Consulum nominibus et aliorum magistratuum, digna memoratu notare consueverat, domi militiaeque, terra marique gesta, per singulos dies. Cuius diligentiae annuos commentarios in octoginta libros veteres retulerunt, eosque a Pontificibus Maximis, a quibus fiebant, *annales maximos* appellarunt.

---

(1) Inepta huius loci interpretatio apud Macrobium, qua Aeneas etiam Pontifex Maximus fingitur, primum Dodwellum, Praelectt. Acad. App. p. 658, tum Saxium in errorem induxit satis singularem, ita ut scribat l. l. II p. 417: „Virgilium in animo habuisse *veros Aeneae annales*, non est quod dubitemus".

Horum igitur testimoniorum ut altero alterum expletur atque in summa rei confirmatur, ita simul si non corrigitur, at certe explicatur: nam si hoc voluit Cicero, ut iam «ab initio rerum Romanarum» propositae sint tabulae, merito non habet secum consentientem Servium, nec contra hic illum, si ex iisdem tabulis natos *annales* statuit. De utraque re superiore Capite summatim monui, quum ut inter commentarios sive adversaria et tabulas, ita inter aeternum et annuum Pontificum tabularium distinguerem. Quod ipsum discrimen Cicero probe quidem indicavit («mandabat literis —, referebatque in album, et proponebat tabulam domi»); sed nimia fortasse brevitate obscurior tempora non satis distincte notavit; quod probant etiam ea, quae statim subiungit, «ii qui etiam nunc *annales maximi* nominantur», quibus profecto testari nec voluit nec potuit, continuo fere annuos illos commentarios appellatos fuisse *annales maximos* (1). Verbo, suadet recta ratio, ut cum tribus rebus tria tempora discernamus. Prima res haec est, consuesse inde a tempore valde antiquo Pontificem Maximum rerum gestarum memoriam literis mandare, atque adeo referre in commentarios. Qui commentarii quum in Pontificum penetralibus repositi nec publice nec omnibus paterent, visum deinde fuit, ut quae quotannis

---

(1) Cf. neglígentissíme scriptus Macrobii locus, Sat. III. 2. s. f., quem infra afferam. Ceterum aliter de Cicerone censet Karstenius, de hist. Rom. antiq. indole et auctor. p. 20, qui: „Ciceronem, inquit, eo loco annalium illorum amplitudinem oratorie exaggerasse, ipsa verba arguunt". Negat enim vir clar., „ullum exstare probabile testimonium vel indicium, unde effici possit, Pontificum commentarios iam sub regibus scriptos esse". Non exstat sane, si suspecta sit Ciceronis fides, cuius rei mihi quidem idonea causa non suppetit. Magis ad meam sententiam accedit Gerlachius, von den Quell. d. ält. Röm. Gesch. p. 5: „Wenn wir in der Stelle Cicero's die Worte: *ab initio rerum Romanarum* zum Objecte ziehen, so wird nicht geradezu die Abfassung der Annalen gleichzeitig mit der Gründung gesetzt, und es bezieht sich mehr auf den Inhalt; wie denn auch an und für sich die Ausdrucksweise nicht haarscharf genommen werden muss". Sed cf. in primis laudandus statim Klotzius.

digna notatu literis fuissent consignata, ea exacto anno in tabulam relata proponerentur populo, ut quae publice gesta essent vel evenissent, publice possent cognosci. Quo tandem more abrogato exstitere demum in formam librorum redacti commentarii annui, qui proprie appellati sunt *annales maximi.* Ita si Tulliana et Serviana collata inter se neque ad vivum resecta interpretamur, optime res procedit et velut gradatio est, quae ex aucto paulatim studio libertatis et ingenii civilique Romanorum cultu nullo negotio explicatur. Atque hunc rerum ordinem sequentes de singulis dicamus enucleatius, habita etiam ratione eorum, quibus diversa placuerunt.

De ipsis quidem *ἀρχετύποις* non est quod multa afferam. Res in dubium vocari non potest, nec quominus iam sub Regibus Pontifices, sibi duntaxat, ea quae fierent, ut quae facerent ipsi, retulisse in commentarios credamus (cf. p. 5 sq.), quidquam impedit. Neque ii, qui cogitationem mandandi ita literis, quae notatu digna viderentur, a civitate non multo ante condita alienam iudicarunt, *ἀρχέτυπα* illa exempla reputaverunt, sed annales tabulasque dealbatas (1). Ne a materia quidem, in qua scriberetur, impedimentum est, siquidem et linteum et corticeam chartam antiquissimis temporibus in usu fuisse constat (2). Idem valet in usum literarum, quamvis essent, ut Livii verbis utar,

---

(1) Est ea sententia Beckeri, I p. 5 sqq. Cff. Niebuhr. p. 6; Karsten. p. 1. Mecum facit Klotzius, cuius *Enchiridion* si quis rarius in ipsa mea disputatione laudatum miretur, hoc factum sciat, quod eius consultandi copia non prius mihi facta est, quam prima huius libelli plagula typis excudi coepisset. Laudassem autem eo lubentius, quo minus a viri clarissimi sententia discrepat fere opinio mea. De commentariis quidem sic pronuntiat p. 356: „Gewiss eher, als sie sich entschlossen oder veranlasst wurden, für's Volk zu schreiben, schrieben die Priester, bei denen wohl, wie dies aus vielen anderen Andeutungen hervorgeht, ursprünglich allein Kenntniss und Anwendung der Buchstabenschrift zu finden war, für sich und zu ihrem eigenen Gebrauche". Cff. in primis, quae his in annotatione subiungit.

(1) Cf. Petersen, de origg. hist. Rom. p. 24 sq., 48. Fuisse qui combustos a Gallis annales maximos putaret in *membranis* scriptos, infra videbimus.

«parvae et rarae per eadem tempora literae», paucorum scientia (1). At contra quidquid multi asseverarunt et argutatur Clericus (p. 9 sqq., 176 sq.), tabulas historicas Pontificum «ab initio rerum Romanarum» repetere ita nimium est, ut omnem omnino exsuperet fidem. Fert quidem fama, cuius auctores supra citavi Livium et Dionysium, Anci Marcii iussu Pontificem ex commentariis Numae sacra publica, in album relata, in publico proposuisse; sed si veri quid in hac fama inesse videtur, est eius rei longe diversa ratio. Sacrorum enim religione diu ante sunt obstrictae gentes, ut omnia post religionem ponenda semper duxerunt Romani (Val. Max. I. 1. 9), quam appetant qualemcunque severiorem cognitionem. Vel sic tamen illa monumenta, quae certe antiquissimis omnium annumeranda sunt, ab eo demum Rege repetuntur, quem fuisse quartum tradunt. At quid cupidinis res suas cognoscendi, domi militiaeque gestas, rudiorem atque incultiorem plebeculam incessisse putemus, quae ne aere signato quidem uti didicisset? Ecquid aut utilitatis aut necessitatis adfuisse statuamus, ut cum hoc populo quotannis Pontifex Maximus relatam in album rerum gestarum memoriam communicaret? Quae quum ita sint, qua via ducit Servius, tradens in albo primum scripta fuisse «Consulum nomina et aliorum magistratuum», ea nos sequamur, statuendo tabulas Pontificis Maximi ante liberam rem publicam non esse propositas. Et vero, tale institutum, quale fuit evulgatorum commentariorum Pontificalium, ut satis ineptum est a Regibus repetere tam fastidiosis omnemque exosis popularem auram, ita si per se spectes, unice referre et tanquam spirare rem publicam dicas. Qua crescente, crevisse etiam accepimus populi cum cultiore vita voluntatem, cum voluntate potestatem publica monumenta et res suas cognoscendi, simul quo adimeretur Patriciis occultandi et depravandi licentia.

---

(1) Liv. VI. 1. 2, VII. 3. 7. Cff. quae pauca, sed bona Niebuhrius, Vortr. I p. 4 sq., quaeque multo plura, sed non omnia certa Saxius attulit, l. l. II p. 461 sqq., 475 sqq., 484 sqq.

Sic auctor nobis Livius est, III. 55. 13, a. U. 305 L. Valerio, M. Horatio Consulibus, institutum esse «ut Senatusconsulta in aedem Cereris ad Aediles Plebis deferrentur, quae antea arbitrio Consulum supprimebantur vitiabanturque». Sic dissimili quidem ratione, sed ob causam simillimam evulgati Fasti, quum Livio teste plus 140 annis ante Canuleius de praecluso ad eos aditu palam fuisset questus. Sed quod proxime pertinet ad quaestionem nostram, ubi eundem Tribunum eadem opportunitate querentem legimus, quod omnino ad commentarios Pontificum Plebs non admittatur, nonne ultro hinc sequitur, a. U. 309 illorum tabulas nondum coeptas esse proponi? Quamquam mihi quidem — fatebor enim — hanc Canuleii orationem legenti non omni dubio vacare videtur, num forte Livius, quum ad illius tempora referret, quae multo demum post tentata sunt, oratorem magis quam historiarum scriptorem egerit. Utique est, quod non defuisse existimemus, qui post Canuleium Tribuni eandem rem toties et peterent et repeterent, donec tandem Patres, impetui diutius declinando impares, quum nec temere vellent resistere, nec cedere omnino suae esse prudentiae ducerent, ne commentarii paterent, invenirent tabulas. Certe enim rogatione tuentium iura Plebis Tribunorum propositas esse, ita monet etiam quae Ciceroni tanquam excidit formula «potestas ut esset populo cognoscendi», ut ex facto hac de re Senatusconsulto paene deprompta esse videatur. (1) Cui quidem potestati

(1) Gerlachium video in alia omnia abiisse, von den Quell. etc. p. 6. Non muto tamen sententiam, sed nolo supprimere verba Gerlachii: „Weder Cicero's noch Servius Ausdrucksweise ist ganz genau, weil Keiner bei der Erwähnung einer allgemein bekannten Sitte die Worte zu wägen für nöthig hielt". Quae in annotatione sic persequitur: „Daher halte ich auch für überflüssig zu fragen, ob Cicero bei den Worten: „potestas ut esset populo cognoscendi" an die Patricier gedacht. Denn wenn diess schon für die frühesten Zeiten sehr wahrscheinlich oder vielmehr allein möglich ist, so liegt eine solche genaue Unterscheidung der verschiedenen Zeiten gar nicht in der Ausdrucksweise; und kann daher unmöglich daraus eine Folgerung gezogen werden".

quatenus, initio saltem, etiam per tabulas satisfactum sit, multum suspicari, affirmare nihil possumus, etsi in illis universe nonnisi rerum capita notata esse probabile est (1). Etiam quo anno instituta res fuerit, quis divinando assequatur? Vel sic tamen, ubi demum a. U. 450 Patribus velut surreptos Fastos cogitamus, quos cognoscere Plebis multo intererat magis, dubitare licet, an prius cum ea communicata sit rerum gestarum memoria, quae per tabulas Pontificis fiebat.

Prius vero quam inchoatam albi historiam absolvam, breviter est de hoc instrumento ipso dicendum, quod a Servio vidimus *tabulam dealbatam* vocari. Apte igitur Clericus quoque p. 84 contulit Graecorum *λεύκωμα*, quo nomine, ne nunc alia curemus (cf. supra p. 21), intelligunt *πίνακα γύψῳ ἀληλιμμένον, πρὸς γραφὴν πολιτικῶν γραμμάτων ἐπιτήδειον*. Vide e. g. Lex. Rhet. in Anecd. Bekk. I p. 277,15. Ea autem tabula in domo Pontificis, quae regia Numae dicta est, ad viam sacram sita, prope aedem Vestae (Beckerus l. l. I. p. 225 sqq.), Servio teste, *quotannis* proponebatur. Quo quidem testimonio invaluit nescio quam perversa opinio, singulis annis ad veteres tabulas accessisse novam, quas omnes magna cura collectas existimant in regia vel potius in atrio Pontificis. Cuius rei quum nullum usquam argumentum reperiam, minus etiam cur ita se habere potuerit causam perspicio, si conservarentur, quod quam maxime probabile est, exempla *ἀρχέτυπα*. Probe memini tradere Catonem, «quod in *tabula* apud Pontificem Maximum est» (Gell. N. A. II. 28 s. f.); sed quid tradat attendenti, scribi in ea «quotiens annona cara», certo certius apparet, *tabulam* ei esse pro *tabulario* sive commentariis: nam *annales maximos* dicere Cato, ut paulo post ostendam, non potuit. Vellem qui tanta sylva tabularum sunt delectati, mensuram fecissent factamque non celassent atrii, quod intra ducentas trecentasque vel amplius caperet ligneas tabulas. Esse in eo numero Clericum minus

---

(1) „Sie liessen dem Volke, in alljährlichen Uebersichten, nur so viel davon wissen, als *ihnen* gut dünkte und *jenem*, nach ihrer Ansicht, nützte und frommte“, ait Klotzius l. l. p. 356.

miror, quam quod idem *album* interpretatur parietem atrii regiae, huc trahens quae sunt apud Polybium Hist. V. 33. 5, dum hunc locum, ab ipso etiam in fragmentis *annalium* habitum, queritur doletque vulgo perperam explicari. Vid. eius p. 30, 83, 101 sq., 368. Polybius enim: *Ἔνιοι τῶν πραγματευομένων*, inquit, *οὐδ' ἐφ' ὅσον οἱ τὰ κατὰ καιροὺς ἐν ταῖς χρονογραφίαις ὑπομνηματιζόμενοι πολιτικῶς εἰς τοὺς τοίχους, οὐδ' ἐπὶ τοσοῦτον μνησθέντες, πάσας φασὶ τὰς κατὰ τὴν Ἑλλάδα καὶ Βάρβαρον περιειληφέναι πράξεις.* Cuivis legenti apertum esse debet, his nec Romanos annales spectari praecipue, nec vero album Pontificis Maximi, sed eas universe *χρονογραφίας*, quae fierent priscis temporibus in primis in sacrarum aedium parietibus, recte a Niebuhrio, Vortr. I p. 5, cum annalibus Bertinianis et Fuldensibus collatas.

Illuc revertor. Effecimus igitur, vigente demum Romana re publica institutas esse Pontificis tabulas; statui de tempore certi nihil posse. At multo constat magis, quo sit anno albi usus abrogatus. Quum enim Cicero perdurasse hunc morem testetur « usque ad P. Mucium Pontificem Maximum », non alium designat nisi P. Mucium Scaevolam, qui ius civile fundasse et hanc scientiam in gentem Muciam intulisse dicitur (Pompon. de orig. iur. § 39), quique cum L. Calpurnio Pisone Frugi, notissimo illo ac diligentissimo annalium scriptore, a. U. 621 Consul Ti. Graccho favere visus est. Cardo tamen rei nobis in hoc versatur, ut sciamus, quibus annis Pontificatum Maximum gesserit. Quodsi Ernestium audimus, referenda est « ratio conficiendorum annalium ad medium prope seculum septimum »; quae ideo laudo, quod ita Ernestius certe declaravit, alias fuisse *tabulas*, alios *annales Pontificum.* Quod vero idem ex Balduino (1) statuit, factum Mucium esse Maximum Pontificem « aliquot demum annis post consulatum », eo certiora vel ex fragmento commentariorum sacrorum, quod p. 7 transscripsi, rescivisse poterat: ibi enim P. Mucius pro

(1) Iurisprud. Mucia p. 63 ed. Hal., quo libro non utor. Ernestii verba legas Excurs. in Sueton. I p. III ed. alt.

collegio Pontificum respondisse traditur T. Flaminino, Q. Metello Consulibus, sive a. U. 631 (1). Atque hinc fortasse Orellius Onomast. II p. 405 Mucium Pontificem facit Maximum «circa a. U. 631 (632)». Contra Dodwellus (l. l. p. 656), quem plures secuti sunt, album Pontificis propositum negavit post annum 623; cui rationi Beckerus I p. 7 reapse non adversatur (2). Et vero, si tantum de anno quaerendum esset, quo P. Scaevola creatus sit Pontifex Maximus, non fallerentur magnopere, quandoquidem successisse ille in Pontificatu P. Licinio Crasso videtur, fratri suo, sive hunc *Consulem* occisum putemus, ut sunt nonnulli auctores, sive *Proconsulem*, quae et plurimorum et potior sententia est. Vid. e. g. Cic. de Legg. III. 19. 42, Vell. Pat. II. 4. 1. Inierit igitur Pontificatum Mucius a. U. 624. Atqui ex hoc non consequitur, eodem anno abrogatum esse album. Velim fieri certior, quo argumento constet, verbis Tullianis «*usque ad* P. Mucium Pontificem Maximum» *primum* annum Pontificatus indicari, non posse alterum, non tertium; prouti si scriptum esset «usque ad P. Mucium *Consulem*», annus indicaretur 621. Mihi persuasum non est, quod in annuo magistratu valet, id valere in sacerdotio, quod nunquam nisi morte amissum est. Quodsi, ut omnino videtur, locutio illa patet latius et de more tam veteri atque inveterato Mucius nonnisi gravioribus causis commotus desistendum credidit, idque publice ratum factum est, haud ita absurdum sit etiam hoc rogare, num qua simul fuerit abrogandi opportunitas. Qua quidem inventa, eum quem investigamus annum invenerimus. Quae mihi dispicienti sese obtulerit, non celabo; sed de causis prius dicendum est.

Non omnino probat Clericus (p. 124), ego omnino non probo, rationes Ernestii, sic disputantis: «Quare omissus ille mos tum fuerit, haud equidem satis scio: neque tamen rem nimis a vero

---

(1) Circa annum U. 651 P. Mucium diem iam obiisse manifestum est ex Epit. Liv. lib. LXVII: tunc enim Pontifex Maximus creatus est Cn. Domitius Ahenobarbus.

(2) „Im ersten Viertheil des siebenten Jahrhunderts".

abhorrentem dixerit, qui putet, tumultus intestinos, qui tum Romae fuerunt, tum forte etiam civilis belli, quod inter Marium et Sullam gestum est, turbas huic instituto prisco finem attulisse». Sunt enim eae rationes neque idoneae nec verae, sed error Ernestii, quippe qui sub saeculum septimum medium fere rem factam putaret. Quas vero causas Clericus ipse affert, earum unam, perinde ac si concessa populo albi consulendi venia, nacta vim legis, sequentibus Pontificibus displicere coeperit (1), refutare minime iuvat; alteram et ipse veram duco, quum admodum probabile sit, res Romanorum gestas vel quovis nomine memoratu dignas ideo desitas esse in albo proponi, quod crescente cum studio literarum numero scriptorum, qui ipsi conderent *annales* aut *historias* evulgarent, periit veteris instituti utilitas. Omitto Graecos; sed Romanorum, qui res patrias scripto mandaverunt, complurium iam ante sublatum album prodierant libri, quorum sunt alii sermone Graeco usi, ut Q. Fabius Pictor (cf. Harless. l.l. p. 2 sqq.), L. Cincius Alimentus, C. Acilius Glabrio, A. Postumius Albinus, Latino alii, ut ligata oratione praeter Cn. Naevium Q. Ennius, soluta idem ille Pictor, idem Albinus, ne M. Fulvii Nobilioris *Fastos* afferam, nullisque horum commentariorum inferiores *origines* M. Porcii Catonis. Neque aliam causam probavit Niebuhrius, Vortr. I p. 9 (cf. Röm. Gesch. I p. 258 ed. alt.), eademque placuit Beckero, I p. 7, etsi de huius sententia, id quod ab eo certe non exspectabam, etiam in hoc sita esse potuerit, quod tum, quamvis non primum, dealbatae tabulae interiissent. Vid. ibid. p. 9. Tabulas quidem merito Klotzius (l.l. p. 368) non curat, sed ita tamen Beckero assentitur, ut vastum incendium, quo a. U. 605 regia deleta est (Iul. Obseq. LXXVIII), pro causa habeat secundaria; cuius utique tum tardus fuit effectus. Sed omnes, quae esse potuerint, causas quis exquisiverit? (2) Fuit quum putarem, populum

---

(1) Verba eius integra apponam: „*Parceque cette publicité* (*des Annales!*) *passée en loi déplut aux pontifes qui suivirent*".

(2) Operae pretium est attendere, quae a P. Sempronio Asellione deprom-

Romanum, ad humaniorem vitae, sed etiam ingenii cultum sensim progressum, libertatisque in dies studiosiorem, novam sibi postulasse magisque popularem et idoneam viam, qua secum communicarentur quae essent rei publicae. Sic orta coniiciebam quae dicuntur *acta diurna urbis* sive *populi*, ita quidem ut haec, sed alia ratione confecta, Pontificum tabulis successissent, non cessissent tabulae coeptis diu ante scribi *actis diurnis*: quam Dodwelli opinionem (l. l. p. 652 sq.) iure impugnavit Clericus p. 224 sqq., ipse vehementer abusus fragmento Sempronii apud Gellium l. c. (1) et interpretatus pessime locum Plinii, qui est N. H. II. 57, adhibitis simul ab hac re alienissimis verbis Servii «per singulos dies». Sed iam repudio hanc coniecturam, quia argumentis nititur non veris, quibus inductus est cum Clerico Lieberkuehnius (Comment. de diurn. Rom. act.), quamvis de tempore, quo primum inceperint *acta*, constare neget, p. 15 (2).

---

psit Gellius N. A. V. 18, non quod ad *annales maximos* proxime pertinent, sed propter manifesta vestigia studii πραγματικῆς ἱστορίας iam tum doctioribus Romanis enascentis, cuius si non excitati, at alti auctique suae fortasse Polybio sunt partes tribuendae. Quod tamen eo tempore Sempronius et alii pauci perspexerunt, id nec perspectum populo fuit, nec potuit esse in causis primariis sublatae Pontificis tabulae, ediditque aliquanto post *historias* suas Asellio.

(1) „Annales libri tantummodo quod factum, quoque anno gestum sit, ea demonstrabant, id est quasi qui *diarium* scribunt, quam Graeci ἐφημερίδα vocant". Qui morem veterum historicorum noverit, non dubitabit, quin hoc iudicium in principio *historiarum* Sempronius universe tulerit de scriptoribus ipso prioribus; qui morem Clerici, quin hunc locum *maximorum annalium* esse fragmentum voluerit. Cf. Cap. I p. 29. Sed quum „annales libri" ei videantur dici *Pontificum* annales, „diarium" explicet *acta diurna*, hanc porro cogit summam, Sempronium praeterito „demonstrabant" et praesenti „scribunt" indicare, tum non amplius propositas esse tabulas, coepta edi *acta populi*. Unum explicare omisit, cur addita sint verba „quam Graeci ἐφημερίδα vocant": nam certe non ita haec accepit, quasi re ipsa „omnibus et lippis nota et tonsoribus", Sempronius doctrinae ostentandae causa ea verba adiecerit.

(2) Idem coniecisse Schmidtium, Zeitschr. f. Geschichtswiss. I. 4 p. 308,

Causa antiquati albi in editis *actis diurnis* quaerenda non est, quippe quorum usus septuaginta fere annis post invaluerit. Qua de re huic quaestioni satis affini paululum exspatiandi venia ut mihi detur rogo.

Est igitur Suetonii Iul. Caes. XX hoc breve atque ab Ernestio l. l. haudquaquam male defensum testimonium: «Inito honore (Consulatu) primus omnium instituit, ut *tam senatus quam populi diurna acta* conficerentur et publicarentur». Quem locum quum alii aliter expedire studerent, multi ideo maxime suspectum habuerunt, quia quae pro fragmentis *actorum urbanorum* a Pighio et Dodwello sunt edita, continerent etiam quae facta essent a. U. 586. Atqui si de fide sermo est, haec ipsa fragmenta tum ab origine, tum a ratione, adeo sunt suspecta, ut reliquiarum nomine ex *actis diurnis* servatarum fidem nullam faciant, quamvis docte ac subtiliter contra Clericum aliosque de iis disputaverit Lieberkuehnius, Vindic. libr. iniur. susp. p. 11 sqq. Quod quum ita sit, nullum superest argumentum, ante P. Mucium Pontificem Maximum instituta esse *acta;* sed non magis constat, tabulis ea continuo successisse, vel certe edita fuisse ante Iulium Caesarem primum Consulem, a. U. 694; nam quae ex Plinio l. l. et Cassio Dione XLVII. 6 Clericus et Lieberkuehnius (Comment. de diurn. act. p. 9 et 15) attulerunt, accommodantes ad ea locum Suetonii, alio pertinent, ut quae vetera *acta* collegisse Mucianus traditur (1). Et in Suetonio quidem, ut de huius testimonio primum absolvam, quod Lieberkuehnio est «ita singulare, ambiguum, obscurum, ut vix certi quidquam ex loco exputari posse videatur», particulas *tam-quam*, praeëunte Behrio (Obss. in duo Sueton. locos), a quo non dissentit Clericus, sic intelligit, «ut Caesarem *eodem modo* senatus diurna acta instituisse significet, *ac* populi diurna acta in usu iam erant». At talem interpretationem quis admittat, quis redarguat? Ἁπλοῦς ὁ μῦθος τῆς ἀληθείας ἔφυ.

---

testis mihi est Bernhardius l. l. ann. 126, cui et ipsi res parum credibilis videtur.

(1) In Taciti dial. de orat. XXXVII, quem locum adscripsi Cap. I p. 10.

Venio ad Plinium, qui: «Relatum in *monumenta* est, inquit, lacte et sanguine pluvisse M'. Acilio, C. Porcio Coss., et saepe alias, sicut carne P. Volumnio, Servio Sulpicio Coss., exque ea non putruisse, quod non diripuissent aves; item ferro in Lucanis anno ante quam M. Crassus a Parthis interemptus est omnesque cum eo Lucani milites, quorum magnus numerus in exercitu erat; effigies quae pluvit spongearum fere similis fuit; haruspices praemonuerunt superna vulnera. L. autem Paulo, C. Marcello Coss., lana pluvit circa castellum Compsanum, iuxta quod post annum T. Annius Milo occisus est. Eodem causam dicente lateribus coctis pluvisse in *acta* eius anni relatum est». Totum hunc locum attuli, quo melius ponderarentur rationes Clerici, qui quum prima tantum verba describat, haec colligit p. 227: «Prodigium illud pluviae lactis et sanguinis pertinet ad a. U. 639 (640), quo anno *Pontificum annales* non amplius conficiebantur. Ergo Plinius haud dubie *acta* cogitat. Atqui eodem loco secundum eadem *monumenta* cum altero prodigio illud confert, quod a U. 292 (293) factum in *annalibus* (Pontificum) scriptum esse debuit. Ergo non magis Plinius quam Servius inter *annales* (Pontificum) et *acta diurna* distinguit». De qua argumentatione quid dicam? Confusionem non urgeo (1). Perdita vero res, quae tali auxilio indigeat. Postremo, ut etiam de Dione videamus, cuius testimonium turpi hallucinatione Clerici (p. 228) inductus Lieberkuehnius refert ad a. U. 671, tradit ille Antonium et Lepidum Triumviros, «quo magis ad trucidandos cives impellerent, metu futurae poenae omni demto, promisisse satellitibus suis, nolle se nomina ipsorum in *acta* inscribere». Quae ex Lieberkuehnii Comment.

(1) Ut quid Clericus voluerit intelligatur, moneo Consules fuisse a. U. 293 P. Volumnium, Ser. Sulpicium Cornutum, a. 640 M'. Acilium Balbum, C. Porcium Catonem. Ceterum talis prodigiorum memoria prorsus cadit in *annales maximos*, ut suo loco ostendam; sed haec mihi non esse idonea causa videtur, ut in Plinianis *annalium maximorum* agnoscamus fragmentum. Qua de re cff. dicta Cap. I p. 20 sq., 23, 28 sq.

p. 9 referre poenitet fere. Nimirum ignoramus, Triumviratum post Caesaris necem a. U. 711 esse initum (1).

Sic nihil ne fidem Suetonio habeamus obstat, quem, Magistrum epistolarum apud Hadrianum, ut recte animadvertit Ernestius, « nullo modo credibile est vera *actorum* initia aut ignorasse, aut vere tradere noluisse ». Sic etiam nihil est, cur *maximis annalibus* putemus *acta diurna populi Romani* aut antecessisse aut successisse: nam omni indicio probabili deficiente, ne eam quidem viam inire placet, quae velut media proponi a Beckero videtur, l. l. I. p. 32 sqq., ut Caesarem dicamus publica auctoritate edenda curavisse, quae acta iam pridem ederentur. Sed redeamus tandem ad Pontificis tabulam.

Quidquid causae fuit, cur P. Mucio Pontifice album abrogaretur, rei agendae tempus opportunum defuisse vix mihi persuadeo. Illud autem haud scio an recte in actis *ludis* quaeram, quibus fuit *saecularibus* nomen. Mera haec coniectura est, quae fortasse etiam mira videatur, sed tamen testimoniis veterum quum non confirmetur, certe non debilitatur. Hoc quidem nemo mihi non concesserit, esse vix temporis punctum potuisse magis proprium et idoneum ad memoriam exactae aetatis, a Maximo Pontifice publice literis consignatam, publice ab eodem velut claudendam, quam quo annorum novus, ut ita dicam, orbis ape-

---

(1) Quum semel huius loci paene coactus mentionem iniecerim, porro moneam, ne cogitari quidem a Dione *acta diurna*. *Ὅπως μηδεὶς*, inquit, *στερηθήσεσθαι τῶν ἄθλων φοβηθεὶς, ὅτι τοὺς ἐπὶ τοῦ Σύλλου φονεύσαντάς τινας ὁ Κάτων ὁ Μάρκος ταμιεύσας ἀπῄτησε πάνθ᾽ ὅσα ἐπ᾽ αὐτοῖς εἰλήφεσαν, ἧττόν τινα ἀποκτείνῃ, προηγόρευσαν ὅτι οὐδένα αὐτῶν ἐς τὰ δημόσια γράμματα ἐσγράφουσιν.* Ecqua veri specie *publicas tabulas* hic designari negemus, quales v. c. Livius XXVI. 36. 11, aut Verr. II. 42, et alibi, Cicero memorat? Nam quod Dioni XLIV. 53 *γράμματα* sunt *acta* Caesaris (cf. Cap. I p. 9), ea res huc prorsus non facit. Ipse Clericus ex Plutarchi Vit. Cat. Min. XVII meliora dum vidit, sequi deteriora maluit. Sed si vel maxime indicarentur *acta*, quo tandem modo possit res ad a. U. 671 referri? Verum non lubet de hoc Clerici *ἑρμαίῳ* insidioso plura scribere. Qui scire velit, qua illud via invenerit, legat eius libri p. 228.

riretur, editis ludis saecularibus quartis. Probe enim tenendum, quod Ernestium non fugit, ex Cicerone, hac in re omnium locupletissimo teste totique grammaticorum turbae longe praeferendo, manifesto sequi, abrogato albo institutos esse *annales*, sive, ut disertius dicam, referri in libros coepisse commentarios annuos Pontificis Maximi, a quo tempore proponere idem quotannis tabulam desineret. Iam vero ludi illi quo anno acti sint, veteres ipsos graviter inter se dissentire sat scio; sed tanto magis lucrabimur, si utrumque per se incertum, alterum alterius auxilio firmabitur. Notissimus est hic Censorini locus, de die nat. XVII: «De quartorum ludorum anno triplex opinio est. Antias enim et Varro et Livius relatos esse prodiderunt L. Marcio Censorino, M. Manilio Coss., post Romam conditam anno DCV. At Piso Censorius et Cn. Gellius, sed et Cassius Hemina, qui illo tempore vivebat, post annum factos tertium adfirmant, Cn. Cornelio Lentulo, L. Mummio Achaico Coss., id est, anno DCVIII. In Quindecimvirorum autem commentariis notantur sub anno DCXXVIII, M. Aemilio Lepido, L. Aurelio Oreste Coss». Ubi igitur in partes tam diversas veteres abierunt, nobis quidem id veniae dabitur, ut eos sequamur, quibus ex publici muneris dignitate maior in his rebus auctoritas fidesque habenda videatur, Quindecimviros; quod collegium quanta pars fuerit illius «temporis sacri», vel ex Horatii *carmine saeculari* perspicitur. Aut omnino reiiciendi sunt *Quindecimvirorum commentarii*, tanquam ficticii vel depravati, aut probandum est, quod petitum ex scriniis Decemvirorum de tali certe re in publicum illi dederunt. Accedit, ut suam ipsi fidem (id quod nulla ratione Lachmannus (1) negavit) eo etiam

(1) l. l. I p. 28, ubi contendit, descriptionem temporum in *Quindecimvirorum commentariis* sero factam esse secundum aeram Varronianam, et annos exhibuisse, quibus fieri ludi debuissent, non tamen facti essent. Quod mihi longe secus videtur. Ex titulo sane coniicias quidem, non evulgatos esse hos *commentarios* ante Sullam, quippe qui Decemvirorum collegium quinis sacerdotibus auxerit; sed frustra quaero, quo auctore confirmetur opinio, praeter usitatum morem adscribendi Consulum aliorumque magistratuum

commendent, quod soli omnium sibi constant in spatio definiendo inter singulos ludos medio, atque ita simul saeculo suos tribuunt «undenos decies annos», mirum in modum fluctuante Valerio Antiate, cui ceterum non optimae notae scriptori (cf. Krausius p. 266 sqq., at contra etiam Liebaldtius de Val. Ant. p. 10 sqq.) quid causae fuerit, cur ad annum expugnatae et Carthaginis et Corinthi ludos quartos referret, exquiri si possit, nihil attinet (1). Denique ut ad propositum revertar, si editi sunt hi

nomina, aliquam aeram, quae vocatur, in his publicis monumentis observatam esse. Imo ex Varroniana Censorinus annos descripsit. Quid simile obtrusum et Ennio sit et *maximis annalibus*, Cap. III videbimus. Ceterum cf. quae proxime sequitur annotatio.

(1) Patet ex Censorino factos esse saeculares ludos

primos,	secundum	XVviros	a. U.	298,	Antiatem	245.
alteros,	"	"	"	408,	"	305.
tertios,	"	"	"	518,	"	505.
quartos,	"	"	"	628,	"	605.
quintos,	"	"	"	737.		

In qua annorum descriptione quis premat diminutum uno anno intervallum, quod fuit a quartis ad quintos ludos, Octaviani iussu tum celebratos? Quid, quod a. U. 505, ut vult Valerius, actos esse tertios in primis dubium est? Superest enim fragmentum Capitolinum, quod quum ad annum 517 (518) referendum ipse credat, Baiterus sic exarandum literis curavit, Fast. Cons. p. LVIII:

Ludi saeculares tert.
M'. Aimilio M'. f. Mag. X. vir.
M. Livio M. f. M. n. Salinatore.

Qua de causa ad a. U. 518 haec inscriptio referatur, ignoro equidem, nisi ideo id fiat, quia pertinere ad a. U. 505 vix potest. Mihi argumento aetas est non Aemilii illius, mortui circa a. 538, si hunc indicavit Livius XXIII. 13. 15, sed M. Livii Salinatoris, cuius famosa Censura (Liv. XXIX. 37) cadit in annum 550, et perdurasse ad 554 videtur. Is enim a. 535 cum L. Aemilio Paulo Consulatum gessit, quo si functum statuimus ipso legitimo anno vel paulo post, necesse est 13 vel 14 annorum puer fuerit, quo tempore tertios ludos editos tradidit Antias, atque hoc auctore, ut videtur, Livius in deperdito libro XX. Quanto autem maiorem natu creabis Consulem, tanto magis Censor ad decrepitam senectutem accedet. Ergo non faciunt fidem Antias eiusque sectator Livius, et in his fortasse Varro, sed Quindecimviri faciunt.

ludi a. U. 628, non admodum vereor, ne audacius sit quam probabilius coniicere, Senatui a P. Mucio Scaevola, Pontifice Maximo, id temporis consulto visum esse, ut qui esset saeculi, is esset finis propositi albi, atque *annalium* ex commentariis conficiendorum initium.

Sed haec utut sunt, potest iam certius iudicari de gravissimo errore eorum, qui ex Cicerone effecerunt, *maximos annales* antiquiores fuisse Mucii Pontificatu, qui, quamvis ex vetustissimis fontibus, commentariis Pontificum, ducti veterem quendam colorem procul dubio ipsi retulerint, neque in exemplis memorantur prisci sermonis, ut laudari vidimus foedera quaedam, XII tabularum leges, Pontificum libros. Cf. p. 12 sq. Nec vero ex iis, quae a Cicerone de Legg. I. 2. 6 traduntur, necesse est consequatur, *maximos annales* confectos fuisse ante Fabianos et *origines* Catonis. Quae enim ibi leguntur verba: «*Post annales Pontificum Maximorum*, — si aut ad Fabium, aut ad — Catonem — venias», nihil eiusmodi arguunt, quum illo quidem loco *post* vix aliud valeat quam *ut omittam* (1). Quid, quod Brut. XVI. 61 Cicero *annales maximos* silentio praeterit, quo quidem loco in primis et prae aliis erant memorandi? «Cethegum, inquit, consecutus est aetate Cato. — Eum nos ut perveterem habemus, qui L. Marcio, M.' Manilio Consulibus mortuus est. — Nec vero habeo quemquam antiquiorem, cuius quidem scripta proferenda putem, nisi quem Appii Caeci oratio de Pyrrho et nonnullae mortuorum laudationes forte delectant». Cf. Isidorus Hispal. Origg. I. 37. Itaque Cicero duntaxat, cui quae de *annalibus Pontificum* nobis innotuerunt debemus plurima, non indicat eos nullis Romanorum scriptis vetustate cessisse. De qua tamen vetustate Beckero (l. l. I p. 10 ann. 14) adeo persuasum fuit, ut quum de Hesiodeo (Ἔργ. 264) *Ἡ δὲ κακὴ βουλὴ τῷ βουλεύσαντι κακίστη* expressum senarium *Malum consilium consultori pessimum est* (Gell. N. A. IV. 5) non immerito pro illis temporibus comtiorem duceret, ad nescio

(1) Non monuissem, nisi hoc *post* proprie acceptum vidissem a Beckero I p. 41.

quos «adulterinos» annales eum referendum censeret. Usus ille hoc argumento non fuisset, si, tabulis ab *annalibus* distinctis, horum confectionem ad Pontificatum Mucii pertinere intellexisset. Quod vero Clericus, dum *annales* sibi fingit iam sub Regibus confici coeptos, aliquid argumenti etiam ex Catone (Gell. II. 28 s. f.) petit, quasi is cognoverit in volumina redactos, ea argumentatione vel noctis tenebrae mihi sunt clariores (1). Afferens Cato «quod in *tabula* apud Pontificem Maximum est», nisi me omnia fallunt, fortiter pro mea sententia pugnat, quia eo ipso indicare videtur, illa quum scriberet — mortuus autem est a. U. 605 — *annales maximos* confectos nondum fuisse (2). Ad Catonem autem Polybium accedere mox videbimus, qui quum multis annis ante Mucium Pontificem Maximum in patriam redierit, confectorum *annalium* ne unum quidem librum potuit consultare, sed, ut omnes ante ipsum Romanorum historici, consultavit commentarios sive tabularium. Etsi enim «aditum ad eiusmodi vetusta historiae monumenta aut lege aut

---

(1) Negat Cato l. l. scribere sibi lubere, exemplo Pontificum, „quotiens lunae aut solis lumini caligo aut quid obstiterit". Quibus verbis transscriptis Gellius: „Usque adeo, inquit, parvi fecit rationes veras solis et lunae deficientium vel scire vel dicere"; quod quam leve sit indicium neminem fugit. Sed iam intellige mihi argumentationem Clerici p. 23 sq.: „*Caton avertit qu'il laisse de tels faits aux tables chronologiques du grand pontife, où on les consignait encore de son temps. Et je trouverais même volontiers ici la preuve que déjà ces tables étaient recueillies en forme de livre, et pouvaient être aisément consultées; car je ne puis croire que Caton s'imaginât que l'indication des éclipses fût indifférente pour la chronologie*". Mihi haec lectitanti obversantur animo, quae verissime idem Gellius scripsit V. 15 s. f., laudans Ennianum Neoptolemum: „Philosophandum est paucis: nam omnino haut placet". Utique prorsus me fugit, quomodo qui ita sentiat suspicari possit, Vespasiano demum Imperatore reseratum esse tabularium Pontificum. Vid. Clericus p. 110 sqq.

(2) De summa *annalium maximorum* vetustate iam Saxio ita persuasum fuit, ut in verbis Livii VI. 1. 10: „*alia ex eis edita* etiam in vulgus, quae autem ad sacra pertinebant, a Pontificibus — suppressa", scribendum censeret „*annales editi* etiam in vulgus". Vid. Miscell. Lips. nov. III p. 248 sq.

more Romanorum privatis nisi prorsus interclusum, admodum tamen difficilem fuisse» recte effecit Krusius (l. l. II p. 44 sq.), quid est, quod non patuisse Fabiis, non Porciis videatur, non Scipionum familiaribus Ennio Polybioque?

Hoc tanquam stadio satis arenoso percurso, nihil amplius nos moratur, quin quae ad ipsam confectionem *annalium* pertinent spectemus propius. Ad quam quidem rem impediendam quam expediendam paratiores invenimus grammaticos: nam Gellius (IV. 5), fortasse ex Verrio Flacco, librum *undecimum* laudat, Servius «annuos commentarios in *octoginta* libros a *veteribus* relatos» testatur. Quae divisio in libros ut a Cicerone ne levissimo quidem indicio comprobatur, ita possit dubium videri an statim ab initio instituta fuerit, reputanti quae tradit Suetonius de ill. gramm. II: «C. Octavius Lampadio Naevii *Punicum bellum*, quod uno volumine et continenti scriptura expositum, divisit in septem libros, ut postea Q. Vargunteius *annales* Ennii». Est tamen hoc non urgendum nimis, quum et Suetonii testimonium valde incertae fidei sit (vid. Vahlen. Enn. poes. rell. p. XVIII sq.), et, ut hoc potissimum exemplo utar, Cato etiam suas *annalibus* antiquiores *origines* ipse in libros diviserit. Multo magis est quod numerus librorum fidem demat, quem, Cn. Gellium ne nominem, cuius *annalem* XCVII sibi habeat Charisius I p. 40, antiquiorum historicorum unus Valerius Antias Pontificibus velut invidisse videatur, quippe cuius *historiarum* LXXV librum Gellius afferat (VII. 9 s. f. Cf. Liebaldt. de Val. Ant. p. 6 sq.), ut multo post illum Livius librum LXXX finivit in morte C. Marii. Conferri vero haec exempla cum *annalibus Pontificum* nequeunt, nisi aut negemus omnia, quae de incomta oratione concisaque dicendi brevitate, iis in primis propria, plures prodiderunt, aut rerum Romanarum memoriam, sub a. U. 628 ex commentariis, in quibus utique plenius quam in tabulis fieret perscripta esse videtur, referri in libros coeptam, ultra Pontificatum P. Mucii longe productam statuamus. Atque hic tantus librorum numerus movit nonnullos, ut *maximorum annalium* quum duplicem fuisse recensionem existimarent, duo velut genera distinguerent, «ge-

nuinos» et «adulterinos» *annales* (1); qualem tamen sententiam ferre facile est, probare difficillimum. Quae autem propria aliena, probabilia incredibilia, vera falsa hac de re disputavit Clericus p. 139 sqq., repetere nolo, minus etiam impugnare aut refellere. Quid igitur? Haud pudet scribere NON LIQUET; sed quid mihi videatur, quam potero brevissime dicam. Inde a P. Mucio Pontifice cessavit esse Pontifex Maximus, quod fortasse proposito demum albo factus fuerat, publicus quem hodie vocamus historiarum scriptor (2); desierunt omnino res domi militiaeque, terra marique gestae *ex auctoritate publica* memoriae prodi. Transiit res ad scribas Pontificum sive Pontifices Minores, qui deinde, quae tunc mandata literis latebant fere in commentariis, referre in libros coeperunt, et continuasse ipsi commentarios etiam post sublatum album videntur (3); id quod mox apertius ostendam. Atque ita sensim nova tanquam materia colligebatur, qua usi scribae ad confectos iam *annales* novos libros conficiebant, usque dum hic quoque mos, incertum quando, non tamen post Verrii Flacci aetatem, in desuetudinem abiit, aucto ad LXXX librorum numero. Haec mea suspicio est. Si quis habet meliora, velim afferat.

Hanc igitur summam quum ex testimoniis veterum, in primis

---

(1) Clericus p. 119 formam *annalium maximorum* coniicit saepius esse mutatam, sive ex voluntate Pontificum ipsorum, sive ex eorum, a quibus ederentur, arbitrio. Alii eos *annales* appellant „veros", qui res inde a tumultu Gallico gestas vel paulo antiquiores continerent.

(2) „Penes Pontifices, ait Vopiscus Vit. Tac. I, scribendae historiae potestas fuit", plane ut Macrobius, cuius verba statim afferam. Quos locos spectans Klotzius p. 368 annot. 531 attendi iubet, tantum de *facultate* („Befugniss") historiae scribendae mentionem fieri, non de imposita Pontifici *necessitate*; ex qua tamen distinctione dubito an quidquam concludendum sit, etiamsi *potestas* recte explicetur *facultas*. Contra Clerico (p. 9) hoc *annalium* scribendorum munus fuisse in causis videtur, cur Pontifici Maximo abesse Roma non liceret; quam acutam scilicet observationem alibi me legere non memini.

(3) Ita quoque *acta diurna* a scribis conficiebantur, quibus inde nomen fuit Actarii sive Actuarii. Cf. Lieberkuehnius, Comment. p. 12 sq.

grammaticorum cogam, eadem ratione quae contraria videantur compono omnia. Iam primum Festum proferam, a quo haec deprompsit Paulus Diaconus XI p. 126:

> *Maximi annales* appellabantur non magnitudine, sed quod eos Pontifex Maximus *confecisset.*

Cur hunc putes subiunctivo usum? Non alio quidem consilio, quam quo apud Macrobium, Sat. III. 2 s. f., satis simili, sed sordide scripto loco voculam *quasi* usurpatam legimus.

> Pontificibus permissa est potestas memoriam rerum gestarum in tabulas conferendi, et hos *annales* appellant equidem *maximos*, *quasi* a Pontificibus Maximis factos.

Quae quod sordide scripta dicebam, cui recte dictum videatur, primum Pontifices rerum gestarum memoriam in tabulas contulisse, deinde ipsas has tabulas (cf. p. 34 sq.) appellatas esse *annales maximos*, *quasi* essent a Maximis Pontificibus confecti? Vix dubium est, quin quae legisset meliora et ampliora, Macrobius excerpendo mutilaverit. Utrique autem testimonio praestat eo nomine Diomedeum, quod legitur III p. 480 ed. Putsch.

> *Annales publici*, quos Pontifices scribaeque conficiunt. (1)

Quae tamen scribentem Diomedem non sui temporis morem respicere, quo ducat praesens «conficiunt», sed auctorem sequi multo antiquiorem, nisi iam alii monuissent, res ipsa moneret. Is igitur cum Pontificibus diserte etiam scribas nominat, quos quum oblique Festus et Macrobius indicare videantur, fortasse Servius intellexit, qui certe «*veteres* retulerunt» non sine causa scripsit, nisi unice de tempore remotiore

---

(1) Futilis est quae additur causa: „quod Romanorum res declarant". Hoc enim si procederet, nulli non annales Romanorum *publici* fuissent dicendi. Quod autem scribae memorentur, Beckerus I p. 5 ann. 3 alios etiam libros intelligi posse opinatur, ut *commentarios* et *libros Pontificum.*

accipiendum sit (1). Postremo, ea quam proposui ratione sola explicatur Ciceronis non dico de numero librorum silentium — namque eum ut memoraret haudquaquam fuit opus — sed sententia dicentis: «ii qui *etiam nunc annales maximi* nominantur». Fac eundem Ennii carmen laudantem scripsisse: «ii qui etiam nunc *annales* nominantur», nonne vel M. illum Crassum ad cachinnos commovisset? Crede mihi, *etiam nunc* dixit, quod, quamvis esset historiae scribendae cura pridem ad Pontifices Minores delata, ut tum Pontificum scribae audiebant, nihilominus vetus nomen manebat, *annales maximi.* Quo nomine iam admoneor, ut in iis, quae ad hunc titulum pertineant, singulatim aliquid operae ponam.

Praeter veterem hunc eundemque verum titulum, alter a Cicerone de re publ. II. 15 atque a Diomede l. l. affertur, *publici annales;* quem quis damnaverit? Qui tituli damnandi sint, et quibus de causis, Cap. I effeci. Nunc addo *annales populi Romani*, laudatos in oratione pro domo XXXII. 86. Mitto enim controversiam, quae est de huius orationis scriptore, quo ipso eius testimonii fides non frangitur (2); sed, sit licet «res *publica* res *populi*», alii sunt annales Romanorum *publici*, alii annales *populi Romani.* Illis publica auctoritate scripti libri indicantur, his commentarii, quibus populi Romani res exponuntur, quisquis eos scripsit aut edidit; neque adeo meliore iure Pontificibus

(1) Tanquam in transitu memoro, ex testimonio Gellii N. A. IV. 5 („Ea historia — scripta est in *annalibus maximis* libro undecimo et in Verrii Flacci libro primo rerum memoria dignarum„) Clerico p. 112 coniecturam factam esse, num forte in iis, qui *maximos annales* confecerunt, Verrius fuerit.

(2) Est illud huiuscemodi: „At vero, ut *annales populi Romani* et monumenta vetustatis loquuntur, Kaeso ille Quintius et M. Furius Camillus et M. (sic pro C.) Servilius Ahala, quum essent optime de re publica meriti, tamen populi incitati vim iracundiamque subierunt; damnatique comitiis centuriatis quum in exilium profugissent, rursus ab eodem populo placato sunt in suam pristinam dignitatem restituti„. Usus est hoc loco Saxius, Miscell. Lips. nov. II p. 647.

vindicantur, quam laudatae a Dionysio *ἐπιχώριοι ἀναγραφαί*. (Cf. Cap. I p. 21 sq.) Sed ad reliqua pergo. *Pontificum annales* Quinctilianus dixit, I. O. X. 2. 7. Non male profecto, etsi paulo diligentius *annales Pontificum Maximorum* Cicero vocat, de Legg. l. l. Quo loco *maximos* commendantem Moserum fugit, ita gravissimum nasci qui dicitur pleonasmum, scite notatum a Bakio, comparante *edictum aedilicium Aedilium*. Alia Mosero, cuius coniectura Orellio placuit, opposuerunt Feldhuegelius, comment. eius loci p. 11, et Klotzius, enchir. I p. 362 annot. 511. Siccamae errorem *annales Maximi* (Pontificis) dictos putantis iure notavit Clericus p. 127 (vid. supra p. 20): inanis enim coniectura est, ad quam ne Festi quidem annotatio potest accommodari. Nec quoad sciam inter *Maximos* plurium collegiorum, Augurum, Praetorum, Curionum, per excellentiam *Maximum* dixerunt, qui Pontificum collegio praeesset. Ceterum quoniam de titulo agimus et nominibus, quibus designantur *Pontificum annales*, ab hoc loco non alienum sit, revocatis primum in memoriam verbis Catonis «quod in *tabula apud Pontificem Maximum* est», ostendere, quam sit verisimilis coniectura, facta a Niebuhrio (Röm. Gesch. I p. 248) in testimonio Dionysii A. R. I. 74.

> *Οὐκ ἠξίουν, ὡς Πολύβιος ὁ Μεγαλοπολίτης, τοσοῦτον μόνον εἰπεῖν, ὅτι κατὰ τὸ δεύτερον ἔτος τῆς ἑβδόμης Ὀλυμπιάδος τὴν Ῥώμην ἐκτίσθαι πείθομαι, οὐδ᾽ ἐπὶ τοῦ παρὰ τοῖς Ἀρχιερεῦσι κειμένου πίνακος ἑνὸς καὶ μόνου τὴν πίστιν ἀβασάνιστον ἀπολιπεῖν.*

Editur enim vulgo *Ἀγχισεῦσι*, tanquam ab *Ἀγχίσῃ* oppido, ceterum vix cognito, quum in tribus codicibus Vaticanis, Niebuhrio teste (cf. Maius ad Cic. de re publ. II. 10), ad quos Clericus p. 99 addit duos Parisinos, *Ἀγχιστεῦσι* legatur, quod iam *Ἀρχιερεῦσι* proximum est. Non mirum adeo, emendationem Niebuhrii egregiam multis visam esse; sed hoc mirum, non aeque omnibus placuisse. Quod autem Beckero (l. l. I p. 5 ann. 1) non probatur, quia tempore Dionysii *πίνακες* veri Pon-

tificum Maximorum (1) non amplius superessent, is quoque viri doctissimi error fluxit ex errore primario, quo ligneas tabulas neque a commentariis neque ab *annalibus Pontificum* distinxit. Equidem quid scripturae Ἀρχιερεῦσι possit iure opponi non perspicio (2).

Haec ad illustrandam historiam *annalium* dicenda videbantur. Quae enim ad interitum «commentariorum» pertinent, a Livio memoratum, arctius coniuncta sunt cum *annalium* ratione et fide, itaque melius in illo loco tractabuntur. Quam diu servati

---

(1) Sic vocabulum Ἀρχιερεῖς in loco Dionysii interpretor, cui *Pontifices* sunt Ἱερομνήμονες et Ἱεροφάνται, VIII. 55 sq. Etiam Polybius XXIII. 1. 2 et XXXII. 22. 5, ubi sermo est de M. Aemilio Lepido, Pontificem Maximum Ἀρχιερέα dicit, quod fugit Niebuhrium, quum Ἀρχιερεῖς appellari apud Polybium *Pontifices* statueret. Ceterum in usu huius nominis Graeci sibi non constant. Sic v. c. Plutarchus Vit. Num. IX init. mentionem facit τῶν Ἀρχιερέων, οὓς Ποντιφίκας καλοῦσιν; at eidem Vit. Caes. VII, huius dictum afferenti: Ὦ μῆτερ, τήμερον ἢ Ἀρχιερέα τὸν υἱὸν ἢ φυγάδα ὄψει, manifesto Ἀρχιερεύς est *Pontifex Maximus*. Quae res fefellit Clericum p. 99.

(2) Probe teneo, legi apud Stephanum Byz. v. Ἀγχίση· πόλις Ἰταλίας, ἀπὸ τοῦ προπάτορος Ἀγχίσου, ὡς Διονύσιος ἐν πρώτῃ περὶ Ῥωμαϊκῆς Ἀρχαιολογίας. τὸ ἐθνικὸν Ἀγχισεύς. Ad quem locum Meinekius: „Potius Epiri, inquit. Anchisae portum apud Buthrotum memorat laudatus Stephano Dionysius Arch. I. 51, idem *Anchisenses*, Ἀγχισεῖς, I. 74". Verum Stephanus ad ea respexit, quae de Capua et Anchise, a Romo conditis, Aeneae filio, Dionysius tradit I. 73. Haec tamen quid pugnent cum coniectura Niebuhrii, ad quam ex Stephani testimonio referri nihil potest praeter τὸ ἐθνικόν? At id ipsum apud Dionysium inveniri Stephanus non testatur, quum soleat in ἐθνικοῖς dubiis vel parum cognitis auctores suos citare. Sed fac eum invenisse, vetustas corruptelae ita probatur, scripturae veritas non item. De Anchise autem oppido, si Dionysium excipias, ignota sunt omnia, ut iam fuere Stephano. An ideo cum Niebuhrio fabulosum illud habeamus? Oppida vereor ne facilius interdum Niebuhrius finxerit quam Dionysius; sed hoc constat, opinor, multis ante Dionysium saeculis Anchisen oppidum in Italia haud inventum esse. Ecqua igitur fuerit, quae historiarum scriptores de rebus Romanorum certiores faceret, *apud Anchisenses tabula?*

sint *annales* aut ipsi aut eorum exemplaria, quid quaeramus? Primi historiarum scriptores quum antiqui temporis memoriam alius alio studiosior et diligentior ex commentariis Pontificum petiissent, sedulo *annales maximos* consultassent Cicerones et fortasse Varrones Pomponiique, quotquot Graeci et Romani inde ab Octaviani aetate scribere res Romanas sunt aggressi, velut fonte exsiccato satius habuerunt illorum rivulis suos irrigare hortulos. Sic sensim nomine magis quam re cogniti vulgo *Pontificum annales*, facti sunt grammaticorum praeda, quorum eos Verrius Flaccus adhibuit nec fortasse ignoravit Servius (1).

(1) Aliud visum est Beckero I p. 10, idem Klotzio I p. 367 annot. 526.

CAPUT III.

De annalium maximorum ratione et fide.

Qui hactenus ex testimoniis veterum in multis longe discedendum a vulgari sententia putavi, qui in primis magnum locorum numerum, ad *maximos annales* a pluribus relatorum, iisdem abiudicavi, adiudicabo alios, etiam de ratione horum librorum et traditis in iis rebus non possum non aliud sentire et aliud ferre quam vulgo fit iudicium. Esse tamen in magna fragmentorum paucitate penuriaque testimoniorum multa tam incerta, ut fere a coniectura pendeant, nemo non intelligit; sed in his quoque « est quadam prodire tenus, si non datur ultra ». Utique optimum factum videtur ab iis disputationem ordiri, quae de interitu tabularii tradi legimus, et quaerere primum, sitne omnino credendum Livio, affirmanti, occupata a Gallis Urbe periisse quae relata in commentarios Pontifices haberent; tum quanta haec iactura fuisse et quomodo resarciri potuisse videatur. Itaque testimonium Livii totum et integrum praemittam.

> Quae ab condita urbe Roma ad captam eandem urbem Romani sub Regibus primum, Consulibus deinde ac Dictatoribus, Decemvirisque ac Tribunis consularibus gessere, foris bella, domi seditiones, quinque libris exposui; res quum vetustate nimia obscuras, velut quae magno ex intervallo loci vix cernuntur; tum quod parvae et rarae per eadem tempora literae fuere, una custodia fidelis memoriae rerum gestarum: et quod, etiamsi quae in *commentariis Pontificum* aliisque publicis privatisque erant monumentis, incensa urbe pleraque (1) interiere. Clariora deinceps certioraque ab secunda origine, velut ab stirpibus laetius feraciusque renatae urbis, gesta domi militiaeque exponentur.

Livio iam Plutarchus teste usus est, *περὶ τῆς Ῥωμαίων τύχης* XIII, quem locum misere corruptum sic restituam:

---

(1) Sequor hanc Perizonio, Dukero et aliis plurimis probatam lectionem, quamquam ad idem redit, quod in libris est, *pleraeque* i. e. literae vel res gestae.

Ἀλλὰ τί δεῖ περὶ ταῦτα διατρίβειν, ἃ σαφὲς οὐδὲν, οὐδὲ ὡρισμένον ἔχει, τῷ καὶ τὰ πράγματα συγχυθῆναι τῶν Ῥωμαίων καὶ διαφθαρῆναι τοὺς Ἱεροφαντῶν ὑπομνηματισμοὺς, ὡς Λίβιος ἱστόρηκε; Τὰ γὰρ ὕστερον μᾶλλον ὄντα δῆλα καὶ καταφανῆ δεικνύει τὴν τύχης εὐμένειαν (1).

Quod autem post multos alios Beckerus, l. l. I p. 8, auctorem laudat Clodium, apud Plutarchum Vit. Num. I, id eatenus rectum est, ut fragmento Clodii Liviana universe confirmentur: ille enim de *στέμμασιν* agit, Gallico tumultu deperditis (2). Sed quid hoc ad commentum Clerici (p. 52 sq., 70), qui veretur, ne *pleraque* dicendo nimium Livius dixerit, scilicet praetendens interitum *annalium*, quo magis aridum atque arduum horum librorum studium ipsi neglectum excusaret? Hoc nimirum sit imputare Livio, quod vulgo vocant, mendacium sui commodi gratia. Hanc maculam Livio is adspergit, qui tot indicia *anna-*

---

(1) In libris est: *τῷ καὶ τὰ πράγμ. διαφθ. τῶν Ῥωμ. καὶ συγχυθ. τοὺς ὑπ᾽ αὐτῶν ὑπομνημ.* At abhorret a veritate, eo tempore Romanis *τὰ πράγματα διαφθαρῆναι*, nec commentarios Livius dicit *συγχυθῆναι*. Huic igitur *συγχύσει* verborum medetur transpositio: nam locutio *συγχεῖν τὰ πράγματα* et proba et Plutarchea est, ut docet Baehrius annot. in Pyrrh. p. 193. Emendatio autem *Ἱεροφαντῶν* pro *ὑπ᾽ αὐτῶν* semet ipsa explicat et tuetur.

(2) *Κλώδιός τις ἐν Ἐλέγχῳ χρόνων (οὕτω γάρ πως ἐπιγέγραπται τὸ βιβλίον) ἰσχυρίζεται, τὰς μὲν ἀρχαίας ἐκείνας ἀναγραφὰς ἐν τοῖς Κελτικοῖς πάθεσι τῆς πόλεως ἠφανίσθαι, τὰς δὲ νῦν φαινομένας οὐκ ἀληθῶς συγκεῖσθαι δι᾽ ἀνδρῶν χαριζομένων τισὶν εἰς τὰ πρῶτα γένη καὶ τοὺς ἐπιφανεστάτους οἴκους ἐξ οὐ προσηκόντων εἰσβιαζομένοις.* Est utique hoc testimonium summi pretii; sed quantum Beckerus Clodio credidit, ad unam omnes *γενεαλογίας* similesque commentarios id temporis interiisse ratus, tantum equidem contempto Livio homini fere ignoto credere dubito. Ceterum iam Clericus, dum tueri antiquitatem annalium Pontificum conatur, fragmentum Clodii bene interpretatus est p. 49 sqq., impugnans populares suos de Pouilly et Sallier (Mém. de l'Acad. d. Inscr. et bell. lettr. 1722, Tom. VI), quorum alteri Clodius visus est ad *annales* respexisse, alteri auctor fuisse Livio.

lium maximorum, in Livianis *historiis* reperire sibi visus est. Tantum Clerico asserenti (p. 76 sq., 83 sq., pass.) non invitus largior, Gallico incendio non interiisse *annales maximos;* tantum Gerlachio (von die Quellen etc. p. 9), a quo tamen eiusmodi quid parum exspectabam, interitum illum a Livio tradi neganti. Scilicet qui libri *annales Pontificum* dicuntur, plus CCLX annis post captam Urbem sunt confecti. Nec qui dealbatas tabulas concrematas dolent, me habebunt condolentem, etiam ubi probaverint, et morem illum iam tunc invaluisse, et conservatas esse propositas tabulas. Interim vix teneo risum, quum fingo mihi quinquagenas vel plures etiam tabulas ligneas, sedulo a Pontificibus Maximis in atrio regiae collectas conservatasque diligenter, iam subito perterrita civitate validis totidem servorum humeris in Capitolium aliove asportandas inque tuto collocandas (1). Equidem de veritate testimonii Liviani non admodum dubito, firmaturus eam suo loco compluribus exemplis; sed illud *pleraque* tam ad «commentarios Pontificum» pertinere crediderim, quam ad «alia publica privataque monumenta», ita ut commentariorum maior quidem pars, neque tamen omnes interierint. Cf. infra p. 76. Ceterum Niebuhrio (Vortr. I p. 6 sq.) — plures enim laudare non necesse est (2) — sic assentior, ut Livium paulo ulterius processisse existimem, non reputantem, quam multi alii commentarii et varia monumenta servari facile potuerint, sintque reapse servata. Cuius rei vidimus Livium ipsum eodem loco ar-

---

(1) Joecherus, vel potius Parreidt, de suspecta Liv. fid. § 4, aliud excogitavit, quod ludicri causa memorare iuvat. *Annales* enim in membranis exaratos interiisse opinatus, horum interitum sic velut γραφικῶς descripsit. „Neque credibile est quidquam ex his voluminibus violentiae ignis fuisse subtractum, quum inter omnes constet, quod, si semel flammae eiusmodi membranas corripuerint, brevissimo tempore incendio hauriantur. Et licet singularis hominum cura quasdam ex iis particulas superstites fecisset (!), mancas tamen, dilaceratas atque ita fumo infuscatas accepissent posteri, ut nullus earum usus fuisset futurus. Sed supererant tamen quaedam mediis ex flammis erepta„. — Haec ille. *Quis talia fando temperet a lacrymis?*

(2) Cf. tamen Klotzius l. l. p. 298 sqq.

gumentum suppeditare, quod perspicuitatis causa denuo afferam. «In primis foedera ac leges (erant autem eae duodecim tabulae et quaedam regiae leges) conquiri quae comparerent (Tribuni consulares) iusserunt: alia ex eis edita etiam in vulgus; quae autem ad sacra pertinebant, a Pontificibus maxime ut religione obstrictos haberent multitudinis animos suppressa.»

Possint facile, quae hoc loco Livius de suppressis commentariis sacrorum testatur, cuipiam suspicionem movere, num forte facto incendio historicis commentariis idem acciderit. Certe enim M. Fabio, tum Pontifici Maximo (Liv. V. 41. 3), tantae molis non erat sui collegii commentarios, quantae Saliis ancilia servare (Liv. V. 54 s. f.), ut salvi evaserunt custoditi a Duumviris Sibyllini libri (Liv. V. 50. 2). Quid, quod magnus quidem appropinquantibus Gallis incessit omnes timor, sed, eodem Livio teste (V. 39. 8), «nequaquam tamen ea nocte, neque insequenti die, similis illi, quae ad Alliam tam pavide fugerat, civitas fuit»? Atque hoc probant etiam habitae eo tempore deliberationes, quaeque inierunt et rata fecerunt consilia, ut res suas sacras aliaque in tutum conferrent. Illud vero qui suspicetur, ut sensit reapse Saxius, l. l. II p. 494 sq., 646 sq., aliquam mihi causam praebeat, non dico, cur alterum vere scripsisse, in altero errasse Livius videatur (1), sed quae Pontifices impellere

---

(1) Statuit Gerlachius, cui sciri postea non potuisse videtur, quae monumenta hac Urbis clade interiissent; quod non capio satis. Sed praestat ipsam viri clar. iam paulo ante memoratam sententiam adscribere, quae diversa ab ea, quam pronuntiavit de temporibus Regum Romanorum disserens (die Zeit. d. Röm. Kön. p. 31 sq.), legitur in disputatione von die Quell. etc. p. 9: „Wir finden in dieser Aeusserung des Livius Nichts als eine Gegenüberstellung der frühern und spätern Geschichte. Wie viel überhaupt bei dem gallischen Brande zu Grunde gegangen war, konnte schwerlich später ausgemittelt werden, weil, wenn auf der einen Seite die Verheimlichung des erlittenen Verlusts und die möglichst schnelle Wiederherstellung für die Priestercollegien als eine Sache von der grössten Wichtigkeit erschien, auf der andern die Einsicht in die Urkunden zu verhindern, dem Interesse des Standes nicht minder förderlich erscheinen konnte, wie

potuerit ad commentarios historicos vel in tempus supprimendos. Ego exquiro nullam. Imo damnum ipsum satis est probabile, tantoque magis, quod ne custos quidem commentariorum, M. Fabius, qui tum devoventibus se pro patria Quiritibusque Romanis verba praeisse fertur, constat salvusne fuerit an a Gallis perierit. Sed de his affatim dictum. Tantum ex Livio ipso efficimus, praeter ea monumenta, quibus aut ignis aut Gallorum saevitia aut quid pepercit, multa servari potuisse. Esse autem plura servata, quam Liviano *pleraque* consentaneum sit (1), merito omnes consentiunt. Quod denique hanc vocem pariter ad tabularium Pontificum refero, hac quoque in re a vulgari me recedere sententia sat scio. Habent vero qui testimonium Livii accipiunt, perinde ac si tradat ille de historicis commentariis nihil servatum esse, Plutarchum sibi praeëuntem quidem, sed patronum non habent, nisi quem fortasse adversariis suis dari malint. Bonus in multis auctor Plutarchus, sed in Latinis non optimus interpres. Neque intelligo, quid interprete indigeamus, ubi nostris oculis legimus: «quae in commentariis Pontificum — erant, — pleraque interiere».

Est igitur, quum *annales maximi* res Romanorum ab exordio Urbis gestas continerent, quidquid de commentariis historicis Pontificum tumultu Gallico interierat, ex servatis monumen-

---

denn auch derselve Livius weiter unten (§ 10) erzählt. — Also Livius hat trotz der grausenhafte Zerstörung nicht an der Möglichkeit einer Auffindung von Gesetzen, Bündnissen und religiösen Urkunden gezweifelt, und dabei *nicht einmal den Untergang der Jahrbücher gemeldet*".

(1) Aliam viam iniit, disputans contra Cluverium "de historia Romuli et Rom. urbis orig." Diss. VII p. 694 sqq. Perizonius, ubi miratur, a Cluverio non factum esse, quod paulo post Bellefortius atque hoc saeculo Niebuhrius studuit, ut tradita vulgo Romanorum historia ante adventum Gallorum tantum non pro fabula haberetur. Is igitur ex Praefatione Corn. Nepotis, Sueton. Tiber. LXXVI et Gell. N. A. I. 16 *pleraque* explicat *multa*, probante Saxio, Misc. Lips. nov. III p. 238. Ex Livio ipso hunc vocis usum duobus exemplis (X. 13. 14, 31. 8) haudquaquam contemnendis illustrat Krusius, de fid. Liv. etc. II. 56.

tis aliquo modo expletum. Cui quidem operi, si quid etiam ex studio colligere liceat, quo statim foedera, leges aliaque conquisita Livius testatur, haud ita multo post erectam ex tam gravi casu rem publicam Pontifex admovisse manus videtur; quamquam singula subsidia, quae adhibuit, vix coniectando assequimur. Utique potuit adhibere, praeter carmina fortasse quaeque legerentur in statuis, commentarios Regum (1), varias legum tabulas et libros, ius quod dicitur Papirianum, Senatusconsulta, thoracem linteum in templo Iovis Feretrii (Liv. IV. 20. 7), Fastos, cum triumphales tum alios, foedera denique, quorum praeter inita cum Veientibus (Dionys. Hal. II. 55) et Sabinis (id. III. 33), illa a Romulo, haec a Tullo Hostilio, quae dubiae sunt fidei, memorantur inscripta monumentis, icta cum Latinis (2), Gabiis et Sabinis (id. IV. 58, Horat. II. 1. 25, Festus v. Clypeus), Carthaginiensibus (Polyb. III. 22 sqq., coll. Perizon. l. l. p. 697 sq.), Porsena (Plin. N. H. XXXIV. 14), Ardeatibus (Licin. Macer ap. Liv. IV. 7). Haec aliaque monumenta (quibus tamen linteos et magistratuum libros (3) annumerare non audeam), multo sane plura quam nobis

(1) Hi utrum a Regibus profecti sint, quorum esse ferebantur, id quod probare studuit libro laudato Petersen, an non sint, nostra nunc parum refert. At negari nequit, monumenta fuisse Urbis incendio antiquiora.

(2) Dionys. Hal. IV. 26. Renovati foederis mentionem facit idem VI. 95, ut Livius II. 33. 9 et Cicero orat. pro Balb. XXIII.

(3) Laudantur *magistratuum libri* a Livio XXXIX. 52. 4 et, uti videtur, *annalium magistratuum* nomine IX. 18. 12, una autem cum *linteis libris* IV. 7. 10 et 12, ita ut alteris alteri opponantur. Proinde depravata scriptura est IV. 20. 8: „quod tam veteres annales, quodque *magistratuum libri*, quos *linteos* in aede repositos Monetae Macer Licinius citat identidem auctores", recteque „*et* quos linteos" legi iussit cum Bellefortio Beckerus I p. 17. Praeterea Livius, qui hos libros ex Macro et Tuberone cognovit, *linteos* solos laudat IV. 13. 7 et 23. 2 sq., itaque nonnisi libro IV, quod auget quidem suspicionem fuisse pervetustos, sed pro re quam agimus nihil magnopere probat. Contra Cap. I p. 18 sq., ubi contuli Livium IV. 7. 10 sqq. cum Dionysio XI. 62, hunc efficiens *linteos libros* dicere *ἱερὰς τε καὶ ἀποθέτους βίβλους,* apparuit inventa esse in his libris et in foedere Arde-

hodie nomine sunt cognita, ut quae in Italiae oppidis aderant, cum libris sacris compluribus (1) privatisque commentariis, ut censoriis, materiam praebebant et variam et ad leniendum damnum satis idoneam, neque ita tamen sufficientem, ut in rerum Romanarum ante incendium historia non relinquerentur plurima incerta ac dubia, multaeque essent lacunae. Quum vero hac de re infra dicetur explicatius, iam propius spectemus universam *annalium maximorum* rationem, exorsi ab iis, quae de oratione produntur: haec enim procul dubio illius quandam velut imaginem retulit (2).

Plurimum lucis hac in re Cicero affert, de Legg. I. 2. 6, quod testimonium, p. 48 alia de causa laudatum, hic describam integrum:

> Post *annales Pontificum Maximorum*, quibus nihil potest esse incomtius, — si aut ad Fabium, aut ad eum, qui tibi semper in ore est, Catonem, aut ad Pisonem, aut ad Fannium, aut ad Vennonium venias, quamquam ex his alius alio plus habet virium, tamen quid tam exile quam isti omnes?

Cuius loci scripturam quot impugnaverint quibusque modis tentaverint, longum est referre et nihil necesse. Quid scribendum esset quum staret mihi sententia, quam eandem a Davisio latam vidi inque priore editione probatam Goerenzio, gratissimum fuit videre Bakio quoque nihil aliud placuisse. Codicum

---

atino, quae in aliis monumentis omnibus desiderarentur. Aedes autem Monetae, teste Livio VII. 28. 6, dedicata demum est a. U. 410. Ceterum ne hoc omittam, Samnitium „librum veterem linteum" Livius commemorat X. 38. 6.

(1) Futilis est conclusio Joecheri: „De Pontificum libris Livius ait, quod a Pontificibus essent suppressi. Proinde illi libri, oculis humanis prorsus subtracti, historiam Romanam antiquiorem nihil poterant iuvare".

(2) Clericus etiam in vetustum sermonem, quo scripti esse *annales Pontificum* videantur, diligentius inquirit, p. 28 sqq.; quem irritum laborem dicere haud vereor.

iucundius haud scio an nulla possit idonea ratione defendi (1); potest vero, quod pro eo substituerunt, *ieiunius;* sed ut propius a vulgata scriptura abest *incomtius*, ita huic loco multo convenit magis. Recte enim monet Bakius, quem Feldhuegelius minime refellit, agi de artificio historiae scribendae, et quam illud esset munus oratorium. Quotquot annales scripserant, exilitas sermonis propria fuit omnium; sed haec quantacunque erat, praestabant tamen illi eo nomine longe *annalibus maximis*, quippe quorum nuda et horridula oratio ne umbram quidem artis referret. Sic omnes annales generatim notans Ovidius nihil esse *hirsutius* dicit, Trist. II. 259 (2). Sed attendamus potius, quam praeclare cum hoc Ciceronis testimonio alterum conveniat, quod principio Capitis II laudavi: «Hanc similitudinem scribendi multi sequuti sunt, qui sine ullis ornamentis monumenta solum temporum, hominum, locorum gestarumque rerum reliquerunt». Attendamus etiam, quae simili sententia eleganter scribit Quinctilianus X. 2. 7 :

> Quid erat futurum, si nemo plus effecisset eo, quem sequebatur? Nihil in poëtis supra Livium Andronicum, nihil in historiis supra *Pontificum annales* haberemus. Ratibus adhuc navigaretur. Non esset pictura, nisi quae lineas modo extremas umbrae, quam corpora in sole fecissent, circumscriberet.

Quae omnia si iungimus cum testimonio, quod Servium audivimus dicentem, Pontificem Maximum quotannis «praescriptis

---

(1) Singulari prorsus ratione de vulgata scriptura *iucundius* disputat Clericus p. 31 sq., ex Attici persona eam interpretandam ratus, Epicurei scilicet. Hominem autem Epicureum, ut docet Clericus, non magna tenebat reverentia eorum, quae a Pontificibus proficiscerentur. Quid quaeris? *Ironia* est. Equidem Clerici, non Attici esse ironiam crediderim, qui quo iure in Epicuri hortis ambulare cogatur, effeci Diatr. in T. Pompon. Att. p. 160 sqq.

(2) Cf. Gellius IX. 13, quo loco verba Quadrigarii adscripturus, quibus depicta pugna est Manlii Torquati et hostis Galli, Claudium ait hanc pugnam „purissime atque illustrissime, simplicique et incomta orationis antiquae suavitate descripsisse„.

Consulum nominibus et aliorum magistratuum, digna memoratu notavisse, domi militiaeque, terra marique gesta, per singulos dies »; — tum originem *annalium* si repetimus, ut repeti omnino debet, ex commentariis Pontificum, nudis et ipsis, ornatu omni orationis tanquam veste detracta, nihil est quod dubitemus, an in hoc exili atque arido sermonis genere ipsa rerum descriptio a tenui illa et ieiuna ratione, quae solet esse Chronicorum propria, cuiusque etiam Livius haud raro vestigia servavit, valde diversa fuerit.

Iam a verbis ad res transituro, in *annalibus publicis* memoratas, venit mihi in mentem versuum Ovidii, quos paulo ante spectabam. Ait enim, quum iubeat a matronis « studiosis sinistri » abesse *annales*, ut a puero telum:

Sumpserit annales; — *nihil est hirsutius illis;* —
Facta sit unde parens Ilia nempe leget.
Sumpserit, Aeneadum genitrix ubi prima requiret,
Aeneadum genitrix unde sit alma Venus.

Quae quid memoro? Non quod relata ad *Pontificum annales* memini, ut male ad Ennianos (1), sed quod iis velut descriptam video, quam rationem plures viri docti his annalibus affingunt, qui priscas illas fabulas, quarum plena est historia Romana, tantum non omnes velut ex fonte ductas volunt ex *maximis annalibus.* Cuius tamen sententiae, quidquid anquiro, idoneus auctor sese nullus mihi offert, ne unum quidem invenio probabile argumentum. Absurdum sit velle omnem historiam fabulosam *annalibus Pontificum* abiudicare, ut quae de Romulo Remoque Marte patre genitis et id genus alia in fatis Urbis antiquissimis sunt intexta; at si quis innumerabiles illas fabulas, quae et prolixe expositae et inde ab excidio Troiae repetitae inque Regum Albanorum historia continuatae, in privatos annales postea infertae sunt, magna ex parte ad *publicos* referendas censeat,

(1) Ad hos pertinere Clericus suspicatur p. 32, tum etiam Vahlenus p. XXXI et 10; quod miror: nam prorsus me fugit, qua veri specie possint ii versus ad cuiusquam *annales* trahi.

id equidem tam falsum putaverim, quam abhorrere vehementer a ratione horum monumentorum, qualem fuisse declarant tum testimonia veterum, tum ipsa fragmenta. Aliud enim est referre talia in literas et summatim notare, aliud perscribere et enarrare. Quid, quod fines *annalium* ita temere prolatantur, qui res inde a condita Urbe gestas, non ante conditam memoriae prodidisse videantur? Quodsi qui factum sit quaeratur, ut nihilominus nasceretur ea opinio nataque invalesceret, causam rei primum et in primis ex libello repetam, qui est «de origine gentis Romanae» quique in aliis etiam fucum fecit plurimis (vid. Cap. I s. f.); tum ex male intellecto Dionysii loco (A. R. I. 73. cf. supra p. 17 sq.): *Παλαιὸς μὲν οὖν οὔτε συγγραφεὺς οὔτε λογογράφος ἐστὶ Ῥωμαίων οὐδὲ εἷς· ἐκ παλαιῶν μέντοι λόγων ἐν ἱεραῖς δέλτοις σωζομένων ἕκαστός τις παραλαβὼν ἀνέγραψεν*, quibus statim subiunguntur veterum scriptorum Romanorum testimonia de Romuli Remique origine ac fatis. Ad hanc autem normam rursus exactae sunt aliorum locorum interpretationes. Quae qui teneat, mirari desinet, ne alios nominem, Lachmannum (l.l. I p. 13) usque eo procedere potuisse, ut *Pontificum annales* «in mythis exponendis prolixos, in Consulum historia breviores fuisse» affirmaret, hoc quidem ex diserto Servii testimonio recte efficientem, illud coniicientem ex fabellis maxime, quas duas tresve undecunque compilatas mendax istius libelli scriptor tanquam ex «annalibus pontificalibus» venditat. Cui quum fidem habendam neget Clericus, hac tamen fama rerum ita stat, ut in iisdem fabellis agnoscere sibi *maximos annales* videatur (cf. supra p. 32), credatque in his expositum esse de Troiana urbis origine, de sue alba «triginta capitum fetus enixa», deque aliis bene multis, quae in Aeneide Virgilius celebravit. Vid. eius p. 160. Equidem quod supra in atrio regio non factum paene dolebam, hac quoque in re unum demiror, quod qui Pontificibus tot obtruserunt fabulas, iidem tabulas ligneas pro commentariis supponentes, harum non sunt ambitum per coniecturam emensi. Sciremus fere, videlicet etiam per coniecturam, quot fabularum enarratarum singulae tabulae fuissent capaces. Est vero sedes fabularum

quovis alio loco magis quam in historicis commentariis Pontificum quaerenda, ex quibus si omnes deinceps tanquam ex fonte genuino eiusmodi historias hauserint, quid causae est, ut iisdem de rebus non eadem omnes scripto mandaverint? Una de Remi morte fabula pro sexcentis est exemplis. Quae illi tradiderunt fabulosa, tum fortasse aliunde receperunt (1), tum ex hominum

---

(1) Qui cum λογογράφοις Graecorum hoc nomine quodammodo conferendus Cato in mythis velut habitavit, quo ferebatur studio originum gentium atque urbium indagandarum, plurima etiam adhibuit cuiuscunque generis et loci Italici monumenta. Quod vero universe antiquiores Romani historici ita ad „imitatorum servum pecus" ablegantur, ut ad prisca tempora illustranda Graecam potius lucernam quam Romanas faces adhibuisse existimentur, id recte fieri mihi quidem persuasum non est. Longum sit haec exquirere diligentius et omnes illos Graecos curare, quibus laudandis Dionysius delectatur; sed Peparethius Diocles an tantus auctor Fabio aliisque reapse fuerit, quantus credi a multis solet, mihi admodum dubium videtur. Non sum nescius, auctorem huius rei Plutarchum esse, qui Vit. Rom. III, laudato Diocle, testatur: ᾧ καὶ Φάβιος Πίκτωρ ἐν τοῖς πλείστοις ἐπηκολούθησε, tum dicere Dionysium I. 79: Κόϊντος μὲν Φάβιος, ὁ Πίκτωρ λεγόμενος, ᾧ Λεύκιός τε Κίγκιος καὶ Κάτων Πόρκιος καὶ Πείσων Καλπούρνιος καὶ τῶν ἄλλων συγγραφέων οἱ πλείους ἠκολούθησαν, κτἑ., atque eorum utrumque haec scribentem in rebus Romuli Remique versari; sed eundem Dionysium memini etiam de iisdem expositurum affirmare I. 73, nullum non scriptorem Romanum paulo antiquiorem talia petiisse ex ἱεραῖς δέλτοις. Quid ergo ex his aliud efficias, nisi nec Dioclem a Fabio exscriptum, nec Fabium a ceteris, sed praeter famam vulgarem unum omnibus communem fuisse fontem, Pontificum commentarios? Sensit hoc dudum atque ita patefecit Perizonius, Dissert. VII p. 703 sqq., ut mirari subeat, esse adhuc, qui abire in partem contrariam malint. Ceterum plures laudare supersedeo, praeter Gerlachium, von den Quell. d. ält. Röm. Gesch. p. 22, et Hertzium, de Luciis Cinciis p. 15, qui affert utriusque sententiae scriptores. Harlessio, de Fabiis et Aufid. p. 7 sqq., vix quisquam suffragetur, Fabium coniicienti „in Latinis annalibus antiquorum temporum historiam plane sicut ab ipsis Romanis tradi soleret exposuisse, in Graecis etiam ea admiscuisse, quae Graecis scriptoribus exponere placuisset". Neque hoc est magnifice de Fabio scriptore sentire, ne id quod tradere *Romani* ante Fabium *solerent* urgeam, „utpote qui primus Romanorum orsus esset historicum opus pertexere", teste Harlessio ipso p. 6.

fama atque ex sacris commentariis librisque, quos multos et varii generis Romani habuerunt, literis consignasse videntur. Atque hoc testatur etiam Dionysius, ubi *παλαιοὺς λόγους* ab iis descriptos dicit ex *ἱεραῖς δέλτοις*, quibus quidquid intelligis, soli historici commentarii intelligi nequeunt. Idem fecerunt, si confirmare haec simili Graecorum exemplo liceat, *λογογράφοι, ἕνα καὶ τὸν αὐτὸν φυλάττοντες σκοπὸν, ὅσαι διεσώζοντο παρὰ τοῖς ἐπιχωρίοις μνῆμαι κατὰ ἔθνη τε καὶ κατὰ πόλεις, εἴτ' ἐν ἱεροῖς, εἴτ' ἐν βεβήλοις ἀποκείμεναι γραφαὶ, ταύτας εἰς τὴν κοινὴν ἁπάντων γνῶσιν ἐξενεγκεῖν, οἵας παρέλαβον, μήτε προστιθέντες αὐταῖς τι, μήτ' ἀφαιροῦντες· ἐν αἷς καὶ μῦθοι τινὲς ἐνῆσαν ὑπὸ τοῦ πολλοῦ πεπιστευμένοι χρόνου, καὶ θεατρικαί τινες περιπέτειαι, πολὺ τὸ ἠλίθιον ἔχειν τοῖς νῦν δοκοῦσαι.* Ait Dionysius de Thucyd. hist. iud. V. Haec vero quid persequar, qui tantum volui monere, ne nullo auctore, nullo indicio statuamus, in prisca historia Romana tradenda fabulas fuisse *annalium maximorum* tanquam farraginem? Tempus est ad fragmenta accedere et ea testimonia, ex quibus vera *annalium* ratio paulo clarius perspicitur.

Si qua igitur fide et Cicero dignus est et Servius, equidem initium *annalium publicorum* non multo altius quam ab iis repetam, quae conditam Urbem proxime antecessisse fama ferebat. Cuius quidem rei exemplo utor loco Ciceronis, qui est de re publ. II. 2 sq. Is enim ut omnino in his libris longe plura ex *maximis annalibus* deprompta proferre videtur, quam se deprompsisse testatur, ita haud scio an eo maxime loco, quo nascentem rem publicam ostendit, Pontificum vestigiis insistat. «Quod habemus, inquit, institutae rei publicae tam clarum ac tam omnibus notum exordium, quam huius urbis condendae principium profectum a Romulo? qui patre Marte natus — concedamus enim famae hominum, praesertim non inveteratae solum, sed etiam sapienter a maioribus proditae, bene meriti de rebus communibus ut genere etiam putarentur, non solum esse ingenio divino — is igitur, ut natus sit cum Remo fratre, dicitur ab Amulio, Rege Albano, ob labefactandi

regni timorem ad Tiberim exponi iussus esse; quo in loco cum esset silvestris beluae sustentatus uberibus, pastoresque eum sustulissent et in agresti cultu laboreque aluissent, perhibetur, ut adoleverit, et corporis viribus et animi ferocitate tantum ceteris praestitisse, ut omnes, qui tum eos agros, ubi hodie est haec urbs, incolebant, aequo animo illi libenterque parerent. Quorum copiis cum se ducem praebuisset, ut iam a fabulis ad facta veniamus, oppressisse Longam Albam, validam urbem et potentem temporibus illis, Amuliumque Regem interemisse fertur. Qua gloria parta, urbem auspicato condere et firmare dicitur primum cogitavisse rem publicam». Plura non describo, in Cicerone ipso legenda. His autem si ornatum verborum detraxeris, manebunt, ut mihi quidem videtur, summa capita rerum, in *publicis annalibus* traditarum, quò ducit etiam fama illa *sapienter a maioribus prodita*. Certe enim his *libri publici* designantur.

In fragmentis propter annum, qui respicitur, primus memorandus est Vopisci locus, principio Vitae Taciti haec tradentis:

> Quod post excessum Romuli — factum Pontifices, penes quos scribendae historiae potestas fuit, in literas retulerunt, ut interregnum, dum post bonum Principem bonus alius quaeritur, iniretur; hoc post Aurelianum — sex totis mensibus factum est.

Adduntur alia, Vopisco fortasse digna, sed indigna *annalibus maximis*, quibus a Clerico nec sine laude tribuuntur (p. 13, 346), et contraria ceterorum scriptorum testimoniis, ut Livii I. 17, Dionysii II. 57, Plutarchi Vit. Num. II. Cf. Beckerus l. l. II. 1. p. 297 sqq, ubi tamen de Vopisco non meminit. Séd ipsa verba supprimere nolo, ut cuivis fiat iudicandi copia. «Totus ille annus per quinos et quaternos dies sive ternos centum Senatoribus deputatus est ita, ut qui valerent Interreges essent singuli duntaxat. Quare factum est, ut et plures annos interregnum iniretur, ne aliquis sub aequali dignitate Romani expers remaneret imperii». Aperte sibimet ipse obloquitur, cui «plures annos» praecedat «totus ille annus», quem annum ut comple-

ret scilicet iusteque inter Senatores centum divideret, per quinos et quaternos, per ternos etiam dies computavit. Equidem an tam minuta interregni divisio in *annalibus Pontificum* sit reperta vehementer dubito. Interregnum fuisse constabat inter omnes; de ceteris rebus non item. Argumentum mihi satis certum est historicorum de his ipsis dissensio. Nomina magistratuum, proeliorum memoria et plura huiuscemodi petere aliunde licebat; peti haec res ex publicis commentariis debebat; quod quum fieri non posset, tetenderunt in diversum historiae scriptores. Qua in sententia etiam confirmor testimonio, quod dicit apud Ciceronem de re publ. II. 12 Scipio. «Cum ille Romuli Senatus, inquit, qui constabat ex optimatibus, quibus ipse Rex tantum tribuisset, ut eos Patres vellet nominari, Patriciosque eorum liberos, tentaret post Romuli excessum, ut ipse gereret sine Rege rem publicam, populus id non tulit, desiderioque Romuli postea Regem flagitare non destitit; cum prudenter illi principes novam et inauditam ceteris gentibus interregni ineundi rationem excogitaverunt, ut quoad certus Rex declaratus esset, nec sine Rege civitas nec diuturno Rege esset uno, nec committeretur, ut quisquam inveterata potestate aut ad deponendum imperium tardior esset, aut ad obtinendum munitior». En iterum quae sunt apud Vopiscum verba *post excessum Romuli*, quae repetita a Cicerone l. l. 30 et de Legg. I. 1. 3 nescio quid solenne habere videntur. Aliis aliud placebit; ego quid de his libris Tullianis existimem, supra dixi.

Paulo post locum laudatum haec apud Ciceronem leguntur, II. 15:

> Quae cum Scipio dixisset: „Verene, inquit Manilius, hoc memoriae proditum sit, Africane, Regem istum Numam Pythagorae ipsius discipulum, an certe Pythagoreum fuisse? Saepe enim hoc de maioribus natu audivimus, et ita intelligimus vulgo existimari; neque vero satis id *annalium publicorum* auctoritate declaratum videmus".

Quidquid quaesivi, hunc Ciceronis locum in commentatione Clerici, tam studiose vel alienissima undecunque expiscati, non

inveni. Esse autem mihi persuadeo summi pretii testimonium tum ad fidem, tum ad rationem *annalium Pontificum* recte percipiendam. Quid enim? Non satis «*annalium publicorum* auctoritate» declarabatur, ex Pythagorae disciplina profectum fuisse Numam Pompilium? «Qui tamen quantus erat hominum et quam inveteratus error!» (Cf. Tusc. disp. IV. 1 ibique annot. Kuehneri.) Sed simul hoc velim videas, annon ita confirmetur suspicio, de historia Romanorum antiquissima in *maximis annalibus* nonnisi summatim et strictim esse expositum. Cuius rei, si ex rivulis par sit ad fontes concludere, primum Fabii Cinciique exempla affero, de quibus testatur Dionysius A. R. I. 6: *Τούτων δὲ τῶν ἀνδρῶν ἑκάτερος, οἷς μὲν αὐτὸς ἔργοις παρεγένετο, διὰ τὴν ἐμπειρίαν ἀκριβῶς ἀνέγραψε· τὰ δὲ ἀρχαῖα τά τε* (1) *μετὰ τὴν κτίσιν τῆς πόλεως γενόμενα κεφαλαιωδῶς ἐπέδραμεν*; tum testes produco Q. Claudium Quadrigarium et L. Cornelium Sisennam, qui ab altera demum Urbis origine initium scribendi fecerunt; sed laudo ante omnia, quae de Regum temporibus universe dicta apud Ciceronem lego, de re publ. II. 18: «Tum Laelius: Laudandus etiam iste Rex (Ancus Marcius); sed obscura est historia Romana, siquidem istius Regis matrem habemus, ignoramus patrem. Ita est, inquit; sed *temporum illorum tantum fere Regum illustrata sunt nomina*». Num haec Cicero non dico potuisset scribere, sed scripsisset, nisi *annalium maximorum*, quos manu versabat, ea fuisset ratio?

Sed huius obscurae brevitatis mentione iniecta opportunum videtur, ne posthac eodem sit redeundum, ex magna exemplorum vi, quae *historias* Livii inspicienti statim sese offerunt, unum duntaxat eligere, quod pertinet ad liberae rei publicae prima tempora, ad pugnam Regillensem (2). Ubi igitur Livius

---

(1) Ut *τὰ ἀρχαῖα* recte dicatur neve fingatur Fabius (nam de Cincio probabilis quidem, sed incertior res est) *τὰ πρὸ τῆς κτίσεως* silentio praeteriisse, ita quod vulgo legitur *τὰ μετὰ τὴν κτίσιν* emendandum arbitror.

(2) Iure Krusius II p. 46 ann. 94 totam huc refert „historiam XIII proximorum post Tarquinium Superbum annorum"; sed singularis eius est

II. 19. 3 scripsit: «A. Postumius Dictator, T. Aebutius Magister equitum, magnis copiis peditum equitumque profecti, ad lacum Regillum in agro Tusculano agmini hostium occurrerunt», et deinde de hoc proelio exposuit tanquam facto a. U. 255, mox II. 21. 3 sq.: «Hoc demum anno (258), inquit, ad Regillum lacum pugnatum apud quosdam invenio; A. Postumium, quia collega dubiae fidei fuerit, se Consulatu abdicasse; Dictatorem inde factum». Idem discrimen, ut quasi praeteriens hoc animadvertam, in Fastis observatur, quorum Capitolini ad illum annum pugnam referunt, ad hunc triumphales, ut Dionysius A. R. VI. 2 sqq. «Tanti errores (pergit dicere Livius) implicant temporum, aliter apud alios ordinatis magistratibus, ut nec qui Consules secundum quosdam, nec quid quoque anno actum sit, in tanta vetustate non rerum modo', sed etiam auctorum digerere possis». Iam vero ad quos auctores Livius utroque loco respiciat, universe explorabis nequicquam; sed quo auctore a. U. 255 ad Regillum dimicatum scripserit, pervestigare velut forte et casu licet. Testatur enim Dionysius l. l. 11, ubi vulneratum dicit Titum, alterum Tarquinii Regis filium: *Λικίννιος καὶ οἱ περὶ Γέλλιον οὐδὲν ἐξητακότες οὔτε τῶν εἰκότων οὔτε τῶν δυνατῶν, αὐτὸν εἰσάγουσι τὸν βασιλέα Ταρκύνιον ἀγωνιζόμενον ἐφ' ἵππου καὶ τιτρωσκόμενον, ἄνδρα ἐνενήκοντα ἔτεσι προσάγοντα.* Quibuscum Liviana conferenti, quae leguntur II. 19.6: «In Postumium prima in acie suos adhortantem instruentemque Tarquinius Superbus, quamquam iam aetate et viribus erat gravior, equum infestus admisit, ictusque ab latere, concursu suorum receptus in tutum est», — numquid potest dubii superesse, quin etiam in anno pugnae Regillensis constituendo Livius, ut in aliis bene multis, pependerit ab auctoritate Macri Licinii, eius cui *annales* scribenti ad manus fuere *libri lintei* et *magistratuum?* (Cf. p. 62.) Quod vero attendere nunc magis refert, scriptum esse de tanta

---

suspicio, „forsan a Pontificibus Maximis eius aetatis inter perpetuas Patriciorum cum Plebe contentiones *annales* in vulgus non esse editos„. Ceterum cff. quae a Livio tradita IV. 7. 1 sqq. alio consilio attuli Cap. I p. 19.

pugna nihil certi in Pontificum commentariis debuit, aut non essent nati deinde tanti errores temporum, non natus tam diversus magistratuum ordo, aliis scriptoribus aliunde obscura illustrare conatis. Quo igitur exemplo probatur luculentius, etiam in gravissimarum rerum memoria, intra primam et alteram Urbis originem gestarum, *maximos annales* defecisse? Atqui vercor ne ipse ad Regillum lacum diutius pugnaverim. Ad fragmenta *annalium* revertor propere.

Eximium plane de *annalibus Pontificum* testimonium Cicero exhibet de re publ. I. 16, quod quo est gravius, ita nos tenebit diutius. Ubi enim ex Scipionis persona docuit, Thaletem primum vidisse, solem lunae oppositum deficere, sic pergit:

> Id autem postea ne nostrum quidem Ennium fugit, qui ut scribit, anno trecentesimo et quinquagesimo fere post Romam conditam,
>
> *Nonis Iunonis soli luna obstitit et nox* (1).
>
> Atque hac in re tanta inest ratio atque sollertia, ut ex hoc die, quem apud Ennium et in *maximis annalibus* consignatum videmus, superiores solis defectiones reputatae sint, usque ad illam, quae Nonis Quinctilibus fuit regnante Romulo, quibus quidem Romulum tenebris — natura ad humanum exitum abripuit.

---

(1) Ita demum Enniana, quae ad annalem IV referuntur, auctore suo digna puto. *Nonis Iunis* vulgo legitur, quod quum Maius et Heinrichius tribuerint Ciceroni, summo iure Ennio reddiderunt Spangenbergius, Lachmannus (Lucret. V. 85) et Vahlenus, ut reddendum Niebuhrius censuit in Add. Vol. I p. 259 ed 2ae. Mea emendatione expletur hexameter et vindicatur Ennio quam adamavit ἐπήχησις, similis Naevianae „*mortales immortales*" et Plautinae „*numeri innumeri*" apud Gellium N. A. I. 24. *Mensis* autem *Iunonius* probata fuit antiquis dictio, quam illustrant Ovidius Fast. VI. 59 sqq. et Macrobius Sat. I. 12. 30, laudans Nisi commentarios Fastorum. Cf. ibid. Ianus. Ceterum perperam contra Niebuhrium Vahlenus p. XLIV contendit, „ad *nox* vocem aliud verbum fuisse proximo versu subiectum, omissum a Cicerone": nam *et* luna *et* nox obstitit, ut docet etiam mox laudandus Zechius. Sic in fragmento Catoniano, quod infra afferam, „solis lumini caligo obstitisse" dicitur, ubi *lumine* miror ab Hertzio intactum relictum.

Hoc testimonio vereor ne abusi multi ad *annales maximos* retulerint, quae nihil cum iis haberent commune, atque ita ad rectius iudicium viam sibi ipsi obstruxerint. Mihi haec legenti iam statim hoc apparere videtur, reputationes illas superiorum defectionum non pertinere ad *maximos annales*, sed enotatam in his ἔκλειψιν, factam a. 350, adeo fide dignam habitam esse, ut profecti ab ea astronomi superiores omnes reputaverint usque ad excessum Romuli, quem quum fama ferret Nonis Quinctilibus sole obscurato hominum oculis esse subductum (Plutarch. Vit. Rom. XXVII, Cic. l. l. II. 10), hac ratione de anno conditae Urbis certiores fieri studuerunt. Qua in re quam operam Varroni Tarutius locasse dicatur, ex Plutarcho notum est, l. l. XII. Neque indigna res temporibus Catonis, Ennii, Polybii atque eius, ex cuius persona Cicero loquitur, Scipionis, quo admodum adolescentulo (de re publ. I. 15) «rationem defectus solis et lunae primus Romani generis in volgum extulit Sulpicius Gallus, qui Consul cum M. Marcello fuit, sed tum Tribunus militum», ut ait Plinius N. H. II. 12. Cff. quae affert Maius ad Cic. l. l. Quodsi res illa a Cicerone tradita luculente probat, quantum auctoritatis Pontificum commentariis vel, si ita mavis, *annalibus* olim tribueretur, quid nos de his fidei laudibus detrahamus, qui novis ac diligentissimis reputationibus astronomicis edocti, anno 350 fere (a. Ch. n. 399), ipsis Nonis Iuniis, sub vesperam, visam esse Romae defectionem solis nunc certo sciamus? (1) Nec du-

(1) Testis mihi est Zechius in commentatione praemio ornata a societate Lipsiensi, quae dicitur Iablonowski, Astron. Untersuch. üb. d. wichtigeren Finsternisse, welche von den Schriftstellern d. class. Altherth. erwähnt werden, p. 58 sq. Quo libro quum ἄνδρες φιλόλογοι fortasse pauci utantur, omissa computatione verba ipsa Zechii afferre minime taedet. „Von früheren Berechnungen dieser Finsterniss kenne ich nur das Resultat der von Münchow, welches Niebuhr anführt, und wornach dieselbe in Rom gar nicht sichtbar oder sehr unbedeutend, und nur in Cadix wenige Minuten vor Sonnenuntergang total war. Dass dies nicht genügt, ist klar. Ich finde dagegen (sequitur computatio) *totale* Sonnenfinsterniss. — In Rom Maximum 11,60 Zoll um 7_h 44′ w. R. Z., wenige Minuten nach Sonnenunter-

bium est, quin hanc, ab Ennio etiam commemoratam, potissimum Cato cogitaverit in fragmento, quod servavit Gellius N. A. II. 28 s. f.

Verba Catonis ex *originum* IV haec sunt: „Non libet scribere, quod *in tabula apud Pontificem Maximum* est, quotiens annona cara, quotiens lunae aut solis lumini caligo aut quid obstiterit.“

Ut vero sententias virorum doctorum percurramus, quae ex testimonio Tulliano sunt deductae, primum Niebuhrio (Röm. Gesch. I p. 258 sq., Vortr. I p. 7 sq.) uno ore assensi sunt, quod sciam, omnes praeter Clericum (p. 11, 89), qui tamen quid voluerit non intelligo, haud mediocriter confirmari Livii fidem, commentarios Pontificum Gallorum tempore interiisse tradentis. Mihi Niebuhrius universe quidem recte id effecisse videtur, sed firmam iustamque causam, quam esse etiam Beckerus (I p. 8) et Gerlachius (von die Quell. p. 6) negaverunt, nequicquam adhuc dispicio, cur ex Cicerone colligamus, «veros» *Pontificum annales* initium duxisse ab ipso illo anno 350. Primum enim ignoro, qui *annales Pontificum* dicendi «veri» sint, qui «falsi». Quodsi his significantur commentarii post a. 365 liberata Urbe restaurati, necesse est etiam «verorum» falsum principium fuisse. Tum si expleri commentarii ex memoria hominum

---

gang, der um 7h 36′ w. R. Z. erfolgte, bei einer Verfinsterung von 10,02 Zoll. Das Jahr (*ungefähr* 350 Jahre nach Roms Gründung) und der Tag stimmen gut; und dadurch, dass die Sonne verfinstert unterging, erhält der Vers des Ennius sein wahres Licht. Es wäre sehr hart, wenn damit ausgedrückt werden sollte *die Sonne bedeckte der Mond, und es ward Nacht;* dagegen macht sich jetzt die Uebersetzung sehr leicht *die Sonne bedeckte der Mond und die Nacht*, d. h. die Sonne ging verfinstert unter. Dann macht es auch keine Schwierigkeit, dass die Finsterniss in Rom nicht wirklich total war; die plötzlich eintretende Nachtdunkelheit bei Sonnenuntergang musste immerhin auffallend genug sein. Nimmt man übrigens die mittlere Anomalie des Mondes um 51′ grösser, so fällt das Maximum sehr nahe mit Sonnenuntergang zusammen; und die Verfinsterung betrüge dann bei Sonnenuntergang 11,35 Zoll“.

et debuerint et potuerint, quid erat anno 350 subsistendum? Neque adeo his tribus lustris contentus est Clericus (p. 11), sed plus unius saeculi historiam memoriae seniorum vel famae custodiendam tradit (1). Tandem, unde constat in commentariis tum omnino quidquam ex memoria restitutum esse, tum illam ἔκλειψιν ita consignatam? Non omnia, quae scripta essent in Pontificum commentariis, interiisse dicuntur, sed *pleraque*. Fac vero, ita si libeat, eam quoque partem, in qua illa pridem notata fuerat, pariter interiisse, quid obstat, ne ex aliis quibuscunque adversariis iterum notari potuerit? Ad alia transeo. Neque enim magis Niebuhrio hoc concesserim, illam defectionem solis in *annalibus publicis* memoratam esse tanquam φαινόμενον singulare, relatamque ad superatos a Gallis Alpes. Princeps ea erat et prima, ut videtur, cuius fiebat in *annalibus* mentio, quia superiorum memoria cum commentariis interierat; earum vero, quae postea factae sunt, nullam habitam esse rationem, neque ex Ciceronis testimonio sequitur, nec convenit cum Catoniano, quo satis diserte indicatur, non fuisse aliqua opportunitate opus, ut quando sol lunave defecisset Pontifices in commentariis notarent, sed factum hoc esse more tam perpetuo quam veteri. Tandem, quam quaestionem nuper movit Vahlenus p. XLIV, in *Pontificum annalibus* annos fuisse per numeros indicatos, hanc veram esse sententiam nullo modo mihi persuadeo. «Annum quidem, inquit, quem Cicero notavit, CCCL non ex Ennio, cuius temporum descriptio a vulgari, quam Cicero sequitur, longe distabat (2), sed e maximis annalibus hausit». Sane ipsam rem ab Ennio ex

(1) Etiam Vossius vereor ne hac in re memoriae hominum nimium tribuerit, de hist. Lat. I. 1: „Neque enim eiuscemodi homines memoriam usque adeo omnem amiserant, ut nec ipsi, penes quos non modo legendi, sed etiam scribendi servandique annales ius erat, non bona ex parte instaurare eosdem possent". Quam Vossii sententiam iniquius perstrinxit Joecherus (Parreidt) l. c. § 5.

(2) Multum lucis huic Ennianae temporum descriptioni dedit nuperrime Ribbeckius in animadverss. ad Ennium, Mus. Rhen. X. 2 p. 272 sqq.

hoc fonte petitam esse, omni caret dubio; «Ennius, quomodo annum illius solis defectus significarit, nescitur»; sed in *annalibus maximis* aliter quam Consulum aliorumque magistratuum nominibus annos esse designatos, coniectura est a nullo neque illo loco a Cicerone confirmata; id quod ipse contextus verborum satis superque docet. Probe memor Tullius, se induxisse dicentem Scipionem, Polybii discipulum, huius quam vocant aeram, ceterum ipsi non observatam, tum recte secutus est. Quum enim defecerit sol anno a. Ch. n. 399, hunc numerum si addes ad 350, habebis annum a. Ch. 749, quo anno Romam conditam esse Polybius statuit.

Sed quod modo universe negabam, a quoquam veterum diserte tradi, per numeros fuisse in *maximis annalibus* descriptos annos, id mentem revocat ad testimonium Dionysii, a Niebuhrio praeclare emendatum. Vid. supra p. 54 sq. Hinc enim Clericus (p. 109) aliique, praeeunte Niebuhrio (R. G. I p. 248 sq.), efficiunt, Pontifices in commentariis conditam Urbem retulisse ad Ol. VII annum alterum. Quae res quum neque ex se contemnenda neque a superiore quaestione aliena sit, nunc paulo est accuratius perpendenda. Itaque locum iterum describam. *Οὐκ ἠξίουν, ὡς Πολύβιος ὁ Μεγαλοπολίτης, τοσοῦτον μόνον εἰπεῖν, ὅτι κατὰ τὸ δεύτερον ἔτος τῆς ἑβδόμης Ὀλυμπιάδος τὴν Ῥώμην ἐκτίσθαι πείθομαι, οὐδ' ἐπὶ τοῦ παρὰ τοῖς Ἀρχιερεῦσι κειμένου πίνακος ἑνὸς καὶ μόνου τὴν πίστιν ἀβασάνιστον ἀπολιπεῖν.* Nolo inquirere, itane Polybius an Dionysius, quem Beckerus cogitasse videtur, Pontifices auctores memoraverit, sed alteram loci partem etiam ad Polybium pertinere credo, qui in multis subsidiis, quae Romae sibi comparavit (cff. Polybius III. 26. 1 sqq., 33. 18, alibi; Dionys. Hal. I. 7), commentariis Pontificum haud dubie usus est; num consequitur ex illo testimonio, secundum tabulam Pontificum eo ipso anno conditam esse Romam? Duo Dionysius notat, quae vitaturum se non sine iactatione pollicetur, et primum quidem, ad temporum ordinem respiciens, non satis se habiturum dicere, quo anno Urbs condita videatur, sed additis cur ita sentiat rationibus atque auctoribus; tum res spectans, non tantum se credere

tabulis illis (quas tamen incertissimum est an descriptas ipse inspexerit), ut in earum testimonia sive auctoritatem velit iurare. Eius igitur loci altera pars ad Polybium referri eatenus potest, ut hunc tabulis Pontificum plurimum fidei tribuisse putemus, non affirmasse, debere se illis, quam in *historiis* suis sequeretur, annorum computandorum rationem. Quid, quod Dionysius hoc tradere si voluisset, pro *οὐδ'* — *ἀπολιπεῖν* scripsisset *ἀπολιπών*? Utique etiam mirum videatur, Pontificibus conditam Romam ad Ol. VII. 2 referentibus, Fabium retulisse ad Ol. VIII. 1, ad Ol. XII. 4 Cincium: nam ab his saltem exspectabas, ut ex publicis commentariis rem peterent illis temporibus in primis incertam atque exploratu difficilem (1). Postremo, qui in libris de re publica scribendis *annales maximos* saepius adhibuit, Cicero, qua tandem causa commotus dixit II. 10: «Si, id quod *Graecorum* investigatur *annalibus*, Roma condita est secundo anno Olympiadis septimae —»? Quod induxit, inquies, dicentem Scipionem, Polybii discipulum, meis mihi verbis respondens, ut ait ille II. 14 s. f.: «Sequamur enim potissimum Polybium nostrum, quo nemo fuit in exquirendis temporibus diligentior». Recte tu quidem; sed secundarium hoc est, non caput. Omni temporum indicio, quod annorum numeris fieret, in patriis *annalibus Pontificum* omisso, ad alios fuit Ciceroni confugiendum. Quid igitur? In Latinis scriptoribus certum ducem quum desideraret, Graecum secutus est, sed quem in ea re cognoverat diligentissimum, ut erat simul omnium maxime idoneus, quem auctorem Scipio laudaret.

Iam rogare mihi unum liceat, priusquam ad eum locum accedam, praeter quem reperio nullum, qui possit pleno iure ad

(1) Contra Karstenio l. l. p. 29 haec fere causa est, cur in emendatione Niebuhrii (*Ἀρχιερεῦσι*) non acquiescat. „Quaecunque tabula ista fuerit, inquit, eam serius factam esse vel ex eo colligas, quod de Urbis anno tanta inter Romanos scriptores fuit dissensio, quanta nunquam fuisset, si in Pontificum tabula esset consignatus„.

Pontifices referri: mirumne accidit attendenti, quam egregie illustrent *annalium* ceterum obscuram rationem libri Ciceronis de re publica, his libris in Vaticano latitantibus visos esse *annales maximos* Gronovio (praef. de orig. Romuli) «meram sine cerebro larvam»? Mihi haud graviter culpandus videtur, cui maxime ex futili testimonio Vopisci atque ex duobus Gellii locis iudicandum esset, quorum alterum a Catone depromptum paulo ante attuli, alterum nunc afferam. Legitur N. A. IV. 5 his verbis:

> Statua Romae in comitio posita Horatii Coclitis, fortissimi viri, de coelo tacta est. Ob id fulgur piaculis luendum haruspices ex Etruria acciti, inimico atque hostili in populum Romanum animo, instituerant eam rem contrariis religionibus procurare. Atque illam statuam suaserunt in inferiorem locum perperam transponi, quem sol oppositu circum undique aliarum aedium nunquam illustraret. Quod cum ita fieri persuasissent, delati ad populum proditique sunt: et cum de perfidia confessi essent, necati sunt. Constititque eam statuam, proinde ut verae rationes post compertae monebant, in locum editum subducendam, atque ita in area Volcani sublimiori loco statuendam; eaque res bene et prospere rei publicae cessit. Tunc igitur, quod in Etruscos haruspices male consulentes animadversum vindicatumque fuerat, versus hic scite factus cantatusque esse a pueris tota urbe fertur:
>
> *Malum consilium consultori pessimum est.*
>
> Ea historia de haruspicibus ac de versu isto senario scripta est in *annalibus maximis libro undecimo* et in Verrii Flacci libro primo rerum memoria dignarum.

Fortasse prolixior narratio in causis fuit, ut a nonnullis haec credita sint ex *annalibus* «non veris» referri; sed ut fama crescit eundo, sic iterum iterumque narrando historia. Nec reddit Gellius ipsa verba *annalium*, sed rem in *annalibus* notatam ex Verrio tradere videtur, sive huius verbis, sive suis. Quod autem etiam propter senarium versum comtiorem hoc fragmentum ad «adulterinos» quosdam *Pontificum annales* relatum est, eius erroris originem p. 48 sq. indicavi. Ceterum ea historia, digna utique quam literis mandarent Pontifices, quum ab alio scriptore nullo

memoretur, de tempore, quo facta sit, haeremus incerti (1). Quod si secus esset, faceret permultum ad *annalium maximorum* descriptionem in LXXX libros, quae qualis fuerit nunc penitus ignoramus (cf. p. 50 sq.), aliquo saltem pacto cognoscendam, nisi faceret simul ad intelligendam, quam utique parum perspectam habemus, rationem.

Adscriptis atque illustratis *annalium maximorum* fragmentis, quae mihi quidem superesse videntur, omnibus, de natura horum librorum in universum nonnisi pauca dicenda habeo, a Catonis loco profectus, cuius acerbe dictum testimonium permagni esse momenti arbitror. Ea certe inest in hac acerbitate veritas, ut quaecunque passim indicia offendimus ieiunitatis et siccitatis, in oratione et proinde ratione *annalium maximorum* conspicuae, ita non mediocriter confirmentur. Nec qui res ipsas spectans, a Catone eo loco memoratas, quanta sit Romae publice et antiquissimis iam temporibus habita annonae cura ex Livio (II. 9. 6, 34. 2 sqq.) aliisque meminerit, mirabitur admodum, publice etiam relatum in commentarios fuisse, «quotiens annona cara», vel, id quod proxime huc pertinet, fames vel pestilentia fuerit. Opportune adeo Clericus p. 23 ad rationem *annalium Pontificum* illustrandam exemplum attulit ex Livio petitum VII. 2 init., ubi notatum legimus: «Et hoc et insequenti anno (390 et 391) pestilentia fuit. Eo nihil dignum memoria actum, nisi quod pacis Deûm exposcendae causa, tertio tum post conditam Urbem, lectisternium fuit». Quae multaque alia, a Livio ex privatis annalibus deprompta, nisi in *publicis* scripta fuissent, unde illorum scriptores cognovissent? Talia autem quam paucis Pontifices concluserint, ita ut ne causas quidem rerum semper adderent, efficio ex iis, quae tradit Livius IV. 12. 6 sq., ubi dicitur annus Urbis 314 «multiplici clade ac periculo insignis,

(1) Ex collatis inter se locis, quos laudat ad Valerium Max. III. 2. 1 Kempfius, non multo plus efficias, quam primum in comitio positam fuisse statuam, tum in Volcanali, „quod est supra comitium„, ut ait Festus v. Statua p. 290.

seditionibus, fame, regno prope per largitionis dulcedinem in cervices accepto. Unum afuit bellum externum: quo si adgravatae res essent, vix ope Deorum omnium resisti potuisset. Coepere a fame mala, seu adversus annus frugibus fuit, seu dulcedine concionum et urbis deserto agrorum cultu: nam utrumque traditur». Ergo de causa dubitabatur. Incertane fuisset, si eam Pontifices suppeditassent? At, inquies, pertinent haec ad fata Urbis tumultu Gallico, quo pleraque commentariorum pars interiit, antiquiora. Vide igitur — non est enim exemplorum penuria — quae X. 11. 10 dicuntur de anno U. 455; quo loco Livius, postquam notavit «caritatem annonae sollicitam civitatem habuisse», satis ieiune: «Eo anno, inquit, (nec traditur causa) interregnum initum. Interreges fuere Ap. Claudius, dein P. Sulpicius». Tandem in *annalibus maximis* solitum esse notari, «quotiens lunae aut solis lumini sol aut quid obstitisset», id quoque, nisi Ciceronis testimonio luculentissime confirmaretur, pariter vel Livii *historiae* centenis locis persuaderent. Quum enim etiam ἐκλείψεις in prodigiis haberentur, harum rerum memoriam quomodo religio Pontificum negligere potuit? Quae quidem res non fugit Clericum, sed, ut ita dicam, τῶν Ἱεροφαντῶν ἱεροφαντικώτερος, ex ipsis *annalibus maximis* petita voluit, quaecunque prodigia, praeter Livium in prima Historiarum parte, Ennius commemoravit, quaecunque Romanum orbem spectantia Virgilius et in Fastis inque duobus postremis Metamorphoseon libris Ovidius cecinit (1). Vid. eius p. 24,

(1) Sunt vero etiam alia multa, quae ad „tabulas annuas" Clericus referenda putat (p. 27 sq.): leges principes, in primis quae ad ius sacrum pertinent (Liv. I. 32: „ius Fecialium, quo res repetuntur"), templorum aliorumque monumentorum dedicationes, ut pontis sublicii (Varr. L. L. V. 83), conditae coloniae (Liv., Vell. Pat., *passim*), virorum clarorum obitus (Liv. VII. 1 etc.), statuae publice decretae (Plin. N. H. XXXIV. 11), aliae res vetustissimae aetatis, quae quando factae sint traditur („*transmis avec leur date*"). Potest praeterea, Clerico teste, ex Livio XXVII. 8 (cf. Cap. I p. 30) effici, in *annalibus Pontificum* circumscripta quaedam iura fuisse, quae singulis magistratibus prae aliis competerent („*ce qu'on*

32, 39 sq. Talia qui investiget, quique investigantem refutet, eorum utrumque oleum et operam perdere putaverim. Multo verisimilius Niebuhrius (R. G. I p. 257 sq.) *annalium maximorum* non descriptum exemplum, sed rationem expressam censuit a Livio X. 47. Ad quem locum addere quum plures possim, his tandem finem impositurus unum describam, qui nihil nisi prodigiorum memoriam continet eorumque procurationem. «Non sum nescius—sic enim praefatur Livius XLIII. 13 — ab eadem negligentia, qua nihil Deos portendere vulgo nunc credant, neque nunciari admodum nulla prodigia in publicum, neque in annales referri. Ceterum et mihi vetustas res scribenti nescio quo pacto antiquus fit animus, et quaedam religio tenet, quae illi prudentissimi viri publice suscipienda censuerint, ea pro indignis habere, quae in meos annales referam». Sequitur nuda narratio vel potius enumeratio prodigiorum, quae visa sunt a. U. 585. «Anagnia duo prodigia eo anno sunt nunciata: facem in coelo conspectam, et bovem feminam locutam publice ali (1). Minturnis quoque per eos dies coeli ardentis species adfulserat. Reate imbri lapidavit. Cumis in arce Apollo triduum ac tres noctes lacrimavit. In urbe Romana duo Aeditui nunciarunt, alter, in aede Fortunae anguem iubatum a compluribus visum esse, alter, in aede Primigeniae Fortunae, quae in colle est, duo diversa prodigia: palmam in area enatam, et sanguine interdiu pluisse. Duo non suscepta prodigia sunt: alterum, quod in privato loco factum esset, palmam enatam impluvio suo T. Marcius Figulus nunciabat; alterum, quod in loco peregrino, Fregellis in domo L. Atrei hasta, quam filio militi emerat, interdiu plus duas horas arsisse, ita ut nihil

---

appellerait aujourd'hui des précédents *pour le rang»).* Numquid potest excogitari ineptius? At Livius eo loco memorat *annales.* Haec res est.

(1) Parum recte haec procedere satis apertum atque in confesso est. Fortasse post «locutam» excidit pronomen *eam.* Ceterum verba attendentem neminem facile praetereat, ex fonte ea manasse pervetusto. Adeo Fabii et Ennii tempora refert illa «bos femina». Nec profecto recentius est ἅπαξ λεγόμενον «imbri lapidavit».

eius ambureret ignis, dicebatur. Publicorum prodigiorum causa libri a Decemviris aditi, qui quadraginta maioribus hostiis quibus Diis Consules sacrificarent, ediderunt; uti supplicatio fieret, cunctique magistratus circa omnia pulvinaria victimis maioribus sacrificarent, populusque coronatus esset. Omnia, uti Decemviri praeierunt, facta». Haec qui legat, memor fuisse Pontificis Maximi «prodigia, fulminibus aliove quo visu missa, suscipere atque curare» (Liv. I. 20. 7), agnoscet fontem, ex quo non statim quidem, sed per rivulos in Livianos canales sunt deducta.

Huc fere redeunt, quae de ratione *annalium maximorum* certo affirmari aut probabiliter effici possunt. Ad ea iam exigenti testimonium Sempronii Asellionis et verba Servii «per singulos dies», quae, Clerici sententia adscripta, in prioribus (p. 29, 42) strictim tetigi, num recto iudicio usus esse Clericus videtur? «Inter eos, «inquit Sempronius», qui *annales* relinquere voluissent, et eos, qui *res gestas* a Romanis perscribere conati essent, omnium rerum hoc interfuit. Annales libri tantummodo quod factum quoque anno gestum sit, ea demonstrabant, id est quasi qui diarium scribunt, quam Graeci ἐφημερίδα vocant. Nobis non modo satis esse video, quod factum esset, id pronuntiare, sed etiam quo consilio quaque ratione gesta essent demonstrare». Mihi haec lectitanti non contigit quidquam reperire, quod magis ad *annales maximos* quam ad alios quoslibet pertineret, frustraque in Servii loco quaesivi, quod posset ad *acta diurna populi Romani*, quae illis successissent, referri, ut Clerici causa hoc quoque iterum moneam. Quid sibi velint haudquaquam ad vivum resecanda Serviana, affatim indicant hoc ipso loco. Sempronius quemque p. 2 attuli, Caesaris *commentarios* interpretatum τὰς ἰδίας ἀναγραφὰς τῶν ἐφημέρων ἔργων, Appianus de reb. Gall. XVIII. Qui proprie ea dicta autumet, mihi quidem non tam καινοτομεῖν quam τριχοτομεῖν videtur. Alia rursus, neque ita aliena tamen, quin commode possit cum his conferri, ratio est testimonii Taciti, quod legitur Ann. XIII. 31 init.: «Nerone secundum, L. Pisone Consulibus, pauca memoria digna evenere; nisi cui libeat, laudandis fundamentis et trabibus, quîs molem

amphitheatri apud Campum Martium Caesar exstruxerat, volumina implere: cum ex dignitate populi Romani repertum sit res illustres *annalibus*, talia *diurnis Urbis actis* mandare». Quibus universe et summatim horum monumentorum discrimen indicatur; nihil aliud. Sed ut de Sempronio totaque hac re absolvam, quae plura ex primo illius libro Gellius tradit adscribam: «Nam neque alacriores ad rem publicam defendundam, neque segniores ad rem perperàm faciundam annales libri commovere quicquam possunt. Scribere autem bellum initum quo Consule, et quo confectum sit, et quis triumphans introierit, et eo libro quae in bello gesta sint iterare, non praedicare aut interea quid Senatus decreverit, aut quae lex rogatiove lata sit, neque quibus consiliis ea gesta sint; id fabulas pueris est narrare, non historias scribere». Concedo libenter credoque, magna ex parte haec etiam in *maximis annalibus* valuisse, eorumque fortasse iam tum coeptorum (1) confici rationem ita simul designari universe; at non concedo nec credo, in *publicis annalibus* non praedicatum esse, «aut quid Senatus decreverit, aut quae lex rogatiove lata sit». Non fuissent *publici* dicendi, qui harum rerum memoriam praetermisissent *annales*.

Restat ut faciam, quod fieri in huiuscemodi quaestionibus solet, ut de fide etiam *annalium maximorum* iudicium dicam; quod certe non leve negotium nec facile est, si perexiguum attendas fragmentorum numerum aliorumque locorum, qui eo consilio adhiberi possunt. Sed hac in re tale iudicium id habet prorsus singulare, ut de fide ferendum sit *publicorum annalium*, quorum altera pars quum interiisset, ab amplissimis ac gravissimis viris ex publica auctoritate restituta est, altera eas res continebat, quas iidem viri eorumque scribae (cf. p. 51) deinceps literis

---

(1) *Libros* enim *rerum gestarum* sive *historias* Asellio, qui „sub P. Scipione Africano Tribunus militum ad Numantiam fuit" (Gell. II. 13), saltem non videtur scripsisse ante a. U. 625, siquidem, eodem Gellio teste I. 13, in iis narravit de P. Crasso Muciano vita iam defuncto; quem quando interfectum tradant, dictum est p. 40.

consignarunt ipso fere tempore, quo gestae factaeque fuerunt. Quum igitur inane sit quaerere, an quae illi memoriae prodiderint, prodere vere *potuerint*, tum eo omnia redeunt, ut efficiamus, num illud neque ira nec studio ducti etiam *voluisse* videantur. Cuius rei contrarium duntaxat ne leviter quidem arguunt quae supersunt librorum reliquiae, quorum fragmentorum ea, quae Cicero exhibet de Numa Pompilio, ex Pythagorae schola non profecto, et de solis defectu, qui factus Romae est a. U. 350, ne alia memorem, fidem Pontificum egregie commendant et tuentur fortiter. Nec minus grave huius fidei argumentum mihi inesse in eo videtur, quod etiam in *publicis annalibus* antiquissima rerum Romanarum memoria, quae Regum tempora spectabat et res ante Gallicum tumultum gestas, aut imperfecta fuit et quasi mutilata, aut obscura et dubia. Quid enim commentarios restauranti Pontifici Maximo facilius tutiusque, si vera an falsa in eos referret non curasset, dummodo quae deessent expleret, quam summa licentia in his versari? Non omnes ea tenuit religio, qui deinde *annales* condentes suo quisque modo proque subsidiorum, quibus utebantur, et copia et auctoritate, quae in Pontificum commentariis desiderarentur, explicarunt, illustrarunt, expleverunt. Utique non tanti negotii est alio nomine fidem Pontificum elevare, perinde ac si in optimatium gratiam odiove Plebis de industria plura perverterint, quantae difficultatis crimen imputatum argumentis probare. Illud egit, hoc omisit Clericus. «Qui viri nobiles, inquit, primis rei publicae temporibus epitaphia Fastosque scribebant, iidem *annales Pontificum* literis mandabant». Hoc iam belle dictum; sed in primis ad reliqua animum adverte. «Pontifices autem Maximi, quamquam scribere historiam debuerant nullo partium studio ducti, ut ipsi ex nullo pendebant, tamen quae essent e re suorum non poterant non recordari. *Annales* quum nonnisi historia essent virtutum patriciarum, pro superba sua simplicitate multis locis tantum nomina Consulum et Dictatorum memoriae prodiderunt (Liv. IV. 30, 47.) Hoc carpsit etiam homo Plebeius Sempronius, qui esse voluit per excellentiam historiae Gracchorum

scriptor. Cato autem, item de Plebe homo, qui non delectabatur sacerdotali dominatione quarundam familiarum, neque universe Patriciorum oligarchia, qui *bellorum duces non nominavit, sed sine nominibus res notavit*, ne Cornelios Fabiosque nominaret, non minus severus est *annalium* iudex, neque in suis vult *originibus* legi, *quod in tabula apud Pontificem Maximum sit, quotiens annona cara*». Has aliasque ineptias — aptius enim, quo talia appellem, nomen mihi non suppetit — agit Clericus p. 21 sq., augetque p. 114, ut in gratiam atque ad arbitrium nobiliorum exactos commentarios Pontificum efficiat, non attendens, Patriciorum quo maior esset illis temporibus in rebus gerendis auctoritas, eo graviores etiam in gestis rebus esse partes debuisse; illa autem fracta, has coeptas attenuari. Antiquissimi autem Romanorum historici ex commentariis Pontificum mirum quantum profecerunt; ex illis rursus Livius, Dionysius, aliique, sed quid et quatenus aliunde in libros suos receperint aut suopte ingenio inventa ad historiam addiderint, prorsus ignoramus. Quo igitur iure nos, nullo veterum auctore, nullo teste, corruptae historiae insimulemus Pontifices, qui nec priscam historiam, quum potuissent, pro lubitu temereque expleverunt, neque a quo tempore album est propositum, si voluissent, decipere facile populum potuerunt (1)?

Ceterum de tota hac quaestione dicam, quod de alia monet Livius VII. 6. 6: «Cura non deesset, si qua ad verum via inquirentem ferret: nunc fama rerum standum est, ubi certam derogat vetustas fidem».

---

(1) Negarunt hoc Beckerus aliique, concedit Klotzius, p. 367 sq., in primis annot. 528, ubi: „Da jene Tafel zu Jedermann's Kenntnissnahme alljährlich ausgestellt ward, und gewiss auch sodann noch für Alle zugänglich war, so lässt sich wenigstens an Fälschungen gröberer Art, wie sie in Familiendocumenten, Leichenreden u. s. w. vorkamen, bei jenen Annalen nicht denken".